

**05**

**A**

**1458**









72

Disputatio Publica,  
*In qua imprimis Becani rationes,*

# An Lutherani Dei verbum habeant,

*examinantur, publice, συζητησάμενοι.*

BONO cum DEO,  
SUB PRÆSIDIO

*Viri admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi*

**DN. WILHELMI LYSERI, SS.**

Theol. Doct. & P. P. celeberrimi, Patroni,

Inspectoris ac Præceptoris sui nullo non obse-  
quii genere ætatem prosequendi,

exponuntur,

**M. JACOBO VVELLERO, Neukircho-  
Varisco Respond. & Auth.**

*Augustin. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 37.*

Titubabit fides, si divinarum scripturarum vacil-  
let autoritas.

*Habebitur in Auditorio maj. d. 23. Julii*

*Horis à 7. matutinis.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,  
ANNO M DC XXIX.



V I R I S

*Admodum Reverendâ Magnificentia, Natalium  
splendore, Consiliis, Judicio Usuq; rerum*

Nobilissimis, Celeberrimis,

*Electoralis, quod Dresdæ est Protosynedrui Ecclesiastici Præ-  
sidi & Adessoribus Eminentissimis, De*

DN. FRIDERICO METSCH in Schwichen-  
bach & Friesen hæreditario, aulæ Elect. Dresd.  
Consiliario,

DN. MATTHIÆ HOE ab Hoenegk in Gönz-  
dorff / Ober & Nieder Rochwitz Hæreditario, SS.  
Theol. Doct. & veræ religionis Propugnatori felicissi-  
mo, Sacri Palatii Lat. Comiti, Serenis. Electori  
à sacris confessionibus, consiliis & con-  
cionibus primariis,

DN. ÆGIDIO STRAUCHIO SS. Theol. Doct.  
eximio, Ecclesiæ, quæ Christo Dresdæ colligitur,  
Pastori & vicinarum Superintendententi  
vigilantissimo,

DN. LEONHARTO KÖPPELIO Jcto magno,  
Serenissimo Electori Saxonæ ab appellatio-  
num Consiliis,

DN. NICOLA O HELFERRICHIO J. U. D.  
Celeberrimo.

*Dnn. Patris ac Promotoribus Magnis  
Debita submissione & singulari observan-  
tia æternum venerandis.*

*Hanc*

de Verbo Dei disputationem  
Honoris ac devotionis ergo

*Reverentia*

qua potest

*Humillima*

Offert, Dicat, Consecrat

**RESPONDENS & AUTHOR,**



05 A 1458





בְּדֵה רְדוּד עֵרֶד לְחִסּוּנָהּ

**A**ntiquo serpenti egregium Syrus interpres attribuit nomen, dum eum אַכְלֵקְרֵצָא delatorem, seu qui ex falsa aliorum accusatione famæq; arrosione ac dilaceratione victum, honores opesq; sibi corradere dies noctesq; anxie allaborat, Matth. 4. v. 5. 8. nominat. Quod suum proprium non tantum nos Deo, Apoc. 12. vers. 10. Deumq; nobis, Gen. 3. v. 4. calumniando egregie agit ac peragit: sed & per satellites suos sibi devinctissimos nunquam non pertere nititur. Exemplo nobis sunt Chaldæi, de quibus idem iisdem verbis licet diversa lingua affirmatur, וְאֶכְלֵקְרֵצָא קְרִיצִיהוּן דִּי דַּן דַּן דַּן Dan. 3. v. 8. c. 6. v. 25. Exemplo Pharisei, qui Christi auctoritatem atro malevolentie carbone notantes, suum inde commodum quasi verunt. Exemplo primitiva Ecclesia, quum adhuc faciem illibatam & virgineam gereret, quæ nescio quorum non criminum accusata ad quævis supplicia insons nulliusque sceleris conscia rapiebatur, Vid. Euseb. lib. 4. hist. Eccles. cap. 8. & alibi. Nunquam tamen tanto ardore & studio officium hoc suum egit, quam in Papatu per filium perditionis, ejusq; asseclas perditissimos, dum Christi discipulos magistratui trucidandos nunquam non offert, oblatos absolvi non permittit. Ut verò Leviathan וְעַקְלָתוֹן פֶּרַח נָחַשׁ id est, rectus & tortuosus ab Esaia cap. 27. v. 2. depingitur; ita duplici semper via, pios quò opprimeret, in Papatu rem est aggressus, nempe *aperto Marte seu directè, & indirectè seu occultè.* Priori modo nulla non persecutionum ac tormentorum genera excogitavit, quibus per Sathanicam inquisitionem, vel ob meram etiam suspicionem, quæ tamen ex Ciceronis judicio, in virum bonum cadere non debet, infinita credentium multitudo sublata est, si-





cur ab eo tempore, quo Jesuwitæ orti sunt, usque ad annum  
1580. hoc est, paulò pluribus quàm 30. annis constantium fidei  
confessorum 900000. hominum trucidata esse in Belgio, Gal-  
lia, Anglia, Italia, & Hispania, inter quos fuere Principes 39.  
Comites 148. Barones 235. nobiles 147515. cæteri de plebe, testis  
est D. Mylius conc. 5. de Papa ex D. Sacco. Sic dux Albanus  
dicitur confessus, se autore in Belgio ad triginta sex animarum  
millia sublata esse, & in unis Parisiensibus nuptiis ultra 30000.  
homines nefandâ morte perierunt. Quin & Windeck in pro-  
gnost. fut. status Ecclesiæ, p. 233. summum pietatis genus esse af-  
firmat, in hac re esse crudelem. Egregia sanè Christianæ cle-  
mentia signa! *Posteriori modo*, per cuniculos quasi agens, nobis,  
quò rudioribus imponat, falsa & impia dogmata affingit, sicut  
vel sexcenta exempla hujus rei proferri possent, ni tempore ex-  
cluderemur. Quid enim in Papatu tritius, quid decantatus,  
quàm nos docere nulli operi bono esse studendum, adulteros,  
homicidas &c. modò dicant se credere, absolvere, & hæreses  
vitæ æternæ constituere? Quis verò hæc unquam docuit? quis  
scripsit? Contrarium testantur omnes libri, omnes conciones,  
omnes tormentorum loci, quos, si non libros, adspiciant. Nec  
sanè minus mendacium, seu ut Scapham scapham nominem,  
calumnia est, quod nos verum Dei verbum habere negent, &  
ex eo nobiscum ex scriptura disputare recusent. Quod men-  
dadium Romanâ sede dignissimum imprimis exspuit Becanus,  
in Manuali controversiarum, anno 1624. Monasteri Westph.  
in lucem edito. Quum verò salus nostra ex his pendeat, placuit  
mihi rationes ejus sub examen vocare, publicæq; disquisitioni  
subjicere. Sed ne tanquam in mari ignoto hinc inde oberre-  
mus, cynosuram seu methodum hanc observabimus, ut quod-  
libet ejus membrum capiti includatur, caput in theoremata  
resolvatur, theoremata deniq; ob utilitatem in disputationi-  
bus in certa membra dissecentur, prius tamen semper consci-  
entia ejus cauteriata demonstretur, quod quò certius capessa-  
mus, doce nos *ω Αγίου Πνεύματος*, per spiritum tibi cum Patre æterno  
*καὶ ὁμοῦσιν καὶ ὁμολοῦμεν*! Amen.

CAPUT



# CAPUT I.

## De Canonicis & Apocryphis libris.

### THEOREMA I.

*Negare Luthuranos verum Dei verbum habere, est nota  
conscientie cauteriatæ.*

1. Notum est D. Paulum inter Antichristi *Μ. τιμησια* collocasse, 1. Tim. 4. quod satellites ejus futuri sint *κεκαυθησιασμοι* τὴν ἰδίαν συνείδησιν, seu homines habentes conscientiam cauterio quodam notatam. Comperere verò hoc signum Romanis probamus:

1. *À controversiæ hujus incendio*, quod ex D. Rungio in lib. de jud. & aliis paulò altius reperemus. Quum enim Megalander noster Lutherus pio & animoso Zelo divinitus instructus, contra impias impij Tezelii, indulgentias, (quas magis ad questum hominis, quam pietatis aut disciplinae Ecclesiasticae tutelam multiplicatas fuisse, adserit ipse Windeck, p. 220. l. sup. d.) A. C. 1517. d. 31. Octob. valvis templi arcis Witteb. non tam animo totum Papatum invadendi, quam frenum impietati Tezelianæ, (cujus tanta fuit temeritas, ut pro precio & mercede vecturae, cibi, potus, familiarii solvebat hospitibus, vectoribus ac famulis suis hoc precii, liberationem videl. 5. aut 4. suorum cognatorum ex purgatorio) injiciendi, suas affigeret theses, statim orbis & Orcus, tota rasorum ac calvorum turba contra eum stylo & ferro fremere incepit.

2. Quum verò suum hoc de indulgentiis, ut & alia, quæ paulatim Lutherus divinæ *ἐλλάμψεως* beneficio impugnare occipiebat, ex scripturis probare non possent, (sicut Eccius, qui tamen acerrimus B. Lutheri hostis fuit, coram Duce Bavarico, Wilhelmo, ingenuè confessus est, ex patribus quidem Lutheranam religionem quodammodo refutari posse, sed non ex scripturis) miseri isti homines ad Papæ dominium, & nescio, quem thesaurum Ecclesiæ commissum confugiebant. Videatur Eccius in obeliscis, ubi hoc ex extravagante Clem. V. probare nititur.

3. Lutherus verò contra illud Hieronymi in cap. 23. Matthæi

A ;

urge-



urgebat; nempe quòd de scripturis autoritatem non habet eàdem facilitate contemnitur, quà probatur, adeoq; potius juxta legem & testimonium esse pronuncian- dum, Esa. 8. v. 20. aliàs nobis non futura aurora gratiæ Dei, strenuè assertum ibat.

4. Videntes igitur Papicolæ Lutheri petitionem esse justissimam, seq; nã morem gesserint, omnium bonorum odium, qui verbum Dei semper vitæ ac fidei normam duxerunt, incur- suros, tandem inviti sua dogmata contortis hinc inde rapsodiis & rationibus ex scripturis probare aggressi sunt, verùm, quàm infeliciter ipsis hoccesserit, testis est experientia. Verbo DEI enim in vernaculam nostram in super translato, omnes statim nuditatem Romani idoli, præsertim ex ineptis scripturarum allegationibus, solidã nostratum ad ficulnea Papistarum argu- menta responsione, viderunt, unde etiam factum, quod religio vera in Saxonia operã Lutheri vix accensa, mox Germaniam penè totam occupãrit: inde ad Aquilonem & Orientem profecta, Daniam, Norvvegi- am, Suetiam, Gotthiam, Pannoniam, Hungariam absumperit, tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delata, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna brevi tempore, populata est, ad extremum alpes transcendit & Italiam usq; penetrãrit, ut loquitur Bel- larmin. in præfat. tom. 1. licet causam falsam adsignet.

5. Posteriores igitur Jesuitæ videntes hanc suæ Ecclesiæ nu- ditatem, in omnes occasiones nervos suos intenderunt, quò huic morbo remedium pararent. Animadvertentes verò se a- quam è pumice postulatos, nisi scripturam suis è manibus & piis è cordibus eriperent, omnem suã grandiloquentiam contra scripturam direxerunt, eamq; mox obscuritatis, mox ambi- guitatis, nunc imperfectionis, nunc corruptelæ, & nescio cu- jus tantùm non accusarunt. Hincq; postea tale *πρόεσμα* e- duxere, hæreticos ex scriptura non esse convincendos &c. cum hæreticis ex scriptura non esse disputantum &c. Ita enim secum; Scriptura nobis non patrocinator, sed contrariatur, E. eam è throno judicii deturbabimus, E. eam obscuram, ambiguam, nec cum adversariis ex ea disputandum, dicemus.

6. Et sanè hanc esse Pontificiorum mentem instar soricis, qui



qui latere nequit, seipfos produnt: Sic enim Albertus Pighius, Papistarum non infimus, lib. 1. Eccles. Hierarch. cap. 4. inquit: *Si hujus doctrinæ memores fuissetis, hæreticos scilicet non esse informandos vel convincendos ex scripturis, meliore sanè loco essent res nostræ: Sed dum ostentandi ingenii, & eruditionis gratiâ cum Luthero in certamen descenditur scripturarum, excitatum est hoc, quod, proh dolor! videmus incendiium.*

7. Et Consil. Episcoporum Bononiæ congregatorum de rat. stabiliend. Rom. Eccles. Anno 1553. inquit: *Hic est ille liber, qui præter cæteras hæc nobis tempestates & turbines concitavit, quibus propè abrepti sumus. Et sanè si quis illum diligenter expendat, deinde quæ in nostris fieri Ecclesiis consueverunt singula ordine contempletur, videbit plurimum inter se dissidere, & hanc doctrinam nostram ab illa prorsus diversam esse, ac sæpè contrariam etiam &c. Hæc illi.*

8. Ex quibus collige 1. scripturam à nostris stare partibus, fundi econtrâ papistici extremam calamitatem esse, quod ipsum etiam Tannerus inficias ire non potest, quum in relat. de colloq. Ratisb. p. 2. inquit: *Petere à Catholicis, ut admittant sacram scripturam solam esse judicem & unicam normam omnium controversiarum, seclusâ autoritate Ecclesiæ infallibili, quid aliud est, quam petere ut suâ causâ ante omnem conflictum nullâ necessitate sponte cadant.*

9. 2. Inane esse *γλάνκωμα* & insignem arrogantiam, quando non tantum Becanus, Bellarminus, Costerus &c. scripturam contra nos allegant, sed & Pistorius se omnia dogmata Papistica ex unica scriptura, sacra demonstraturum thraſonice promittit. Vid. epigr. Hodoget:

3. Scripturam eos ideò accusare, quia noverunt hanc suam doctrinam in ea jam esse condemnatam. Hinc Jesuita Fabricius Romæ dixit: *Satius est Romanæ Ecclesiæ Epistolas Pauli extra Ecclesiam ejicere, quam cum Apostolicæ sedis detrimento ejus Epistolas legere.* Vid. Dn. Nigrinus in tr. de leg. implet. p. 591.

10. II. *Ab ingenio hæreticorum in Papistis redivivo.* Refert Irenæus lib. 3. c. 2. hæreticorum hoc esse proprium, ut quum ex scripturis arguuntur, mox in accusationem ipsarum scripturarum convertantur, quasi non rectè habeant, nec sint ex autoritate, quod variè sint di-

ctas



*Et, quodq̄ non possit ex his inveniri veritas ab iis, qui nesciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem. Quid verò papatui similis cogitari vel dici possit, certè non video. In eodem enim cum his hæreticis Jesuitæ ludo videntur edocti, eodemq̄; patre prognati. Quid enim in papatu tritius, quàm hoc; Scripturam esse corruptam, esse ambiguam, veritatem ex eâ absq̄ traditione non posse inveniri, nec absq̄ autoritate Ecclesie plus, imò nec tantum quidem valituram, quantum Æsopi valent fabula. Vitus Milerus in discuss. errorum Til. & Heshufii Err. 5. p. 21. esse nasum cereum, quin & nasum ita inflecti, ceu scripturam, non posse; Ibid. p. 17. esse mutam literam, asinam esse locutam, scripturam verò nunquam, Idem, pag. 18. esse materiam litis, Colloq̄ W ormat. anno 59. Imò non esse verbum Dei, quia in ea multa sunt falsi & mendacia, nec non cavilla. Fran. Fevardent. in refut. confess. fid. catech. Calvin. lib. 15. art. 5. p. 227. Videatur Dn. Nigrinius l. d. p. 593. ubi hunc locum adducit. Extra periculum verò constituti, nil certius, nil notius scriptura clamitant. Bellarm. l. 1. de V. D. cap. 2.*

11. III. *Ex cauta, sed malâ suæ religionis prospectione. Noverunt hi canes callidi, quàm ruinosam malamq̄; foveant causam, & quàm parùm firmamenti in scripturis ritè ac orthodoxè intellectis habeant, hinc ut suæ desperatæ causæ, vel extremam frigidam suffundere queant, emplastrum hoc invenère, nempe scripturæ sensum tantùm haberi in Ecclesia, à nulloque nisi Ecclesia posse erui. Sic enim ô avardè & Andradius, Neq̄ verò ait omni fronte sepositâ, in ipsis libris, quibus Sacra mysteria conscripta sunt, quidquam inest divinitatis, que nos ad credendum, que in illis continentur, aliquâ religione constringat, seclusâ autoritate Ecclesie, & Pistorius, scriptura, inquit, nisi ab Ecclesia explicetur, mensura nobis non erit, erit obscuritas & offensio, & magis erroris nostri, quàm veritatis mensura. Et Hofius ille avardè & tom. 2. p. 3. Scriptura in seipsa non est verum illud atque expressum verbum Dei, cui nos obedire oporteat, nisi juxta sensum & consensum Catholice Ecclesie exponatur. Ita egregiè de scripturâ!*

12. *Neque hoc tantùm in pectoris scrinio foveant, sed & praxi ipsâ luculentâ satis demonstrant, semper ad stolidum illud, tanquam ad anchoram suæ causæ firmissimam, confugiētes:*



gientes: Ecclesia sic explicat; Alius sensus dari non potest, quia Ecclesia sic explanandum iudicat. Verum ubi de Ecclesia quaeris, non certe ad veram, sic enim causa caderent, sed ad suam, de qua tamen sub iudice lis est, te amandant, unde iterum Hosius lib. de expresso verbo Dei, fol. 44. scribere non erubuit, scripturas non in eo sensu, quem Romana Ecclesia amplectitur, proferre, non est expressum Dei, sed expressum Diaboli verbum proferre.

13. Quin & hæc absurdorum messis ipsis nimis sterilis, nisi & hanc Corybæo dignam absurditatem adderent, Ecclesiam que nomine non collectionem hominum gratuito vocatorum, sed solum Papam intelligerent, ita, ut quicquid hic dicat, sentiat, figat, refigat, illud quovis ex tripode prolato verius, imò si peruersitate sua multa animarum millia secum in errorem aut exitium abripiat, nemo sit, qui dicere audeat, Domine Papa, quid facis? distinct. 40. Sic enim Gregor. de Valent. tom. 3. comment. in Thom. p. 24. Nomine Ecclesie intelligimus ejus caput Romanum Pontificem, & Bellarmin. lib. 4. de Pontif. cap. 2. ipsa infallibilitas non est in coetu consiliariorum vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice. Et lib. 2. de concil. cap. 17. Summus Pontifex simpliciter & absolute supra Ecclesiam universam & supra concilium generale, ita ut nullum in terris supra se iudicium agnoscat.

14. Hic quam multa falsa.

I. Principium petunt, Romanam Ecclesiam esse veram Catholicam Ecclesiam.

II. Illud ipsum, in quo cardo controversie vertitur, tanquam ἀναπόδεικτον proferunt, Papam esse caput Ecclesie.

III. Unius hominis iudicio (agam ex concessione Costeri in Enchirid. p. 137. aliàs enim tanta de tam sacro Patre non affirmanda) qui tamen interdum cum Marcellino idola colit, de fide non recte sentiens diabolicis artibus operam navat, erit standum, ita ut si hic asserat, dextram esse sinistram, & sinistram esse dextram, tibi hoc credendum, ceu Lyranus in Deut. cap. 17. de Rabbiniis Judæorum scribit. Unde ulterius sequitur, non posse nobiscum Jesuitas nisi absque turpissima principii petitione disputare, nec quemquam hæreticum, qui synagogam Romanam rejicit, refutare salvis Jesuitarum hypothefibus.

B

IV. Ma-



IV. Major erit autoritas Pontificis, quam Apostolorum, ipsiusque Christi, utpote horum verba non valent, imò sunt Diaboli (mens horret dicere) verba, nisi eo sensu, quo Ecclesia Romana accipit, intellecta. Hinc Neroniana audacia concil. Constant. sess. 13. Anno 1415. licet Christus cœnam instituerit, & suis discipulis ministraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile sacramentum: tamen hoc non obstante sacrorum canonum autoritas & adprobata consuetudo Ecclesie laicis sub unâ specie sacramentum hoc porrigi cupit. Sic Concil. Trident. sess. 5. anathemate, licet bruto & non timendo, ferit illos, qui concupiscentiam peccatum dicant, quanquam ipse Apostolus Paulus eam aliquando, ut ipsi Concilii Patres loquuntur, peccatum appellet.

V. Quod ultimum clarius quidem, verum etiam majori cum impietate Vitus Miletus Gamundianus in refut. 600. errorum Hesh. & Olear. loc. 1. err. 13. p. 44. profert. Quisquis Ecclesiam non audierit, (quicquid etiam dixerit) quicquid pretenderit, quoscunq; Deos vel spiritus; quoscunque Prophetas vel Apostolos; quoscunque Psalmos vel Paulos; quoscunq; pontes, montes, vel fontes appellarit, si etiam pelagus scripturarum profuderit, & nil nisi scripturas locutus fuerit, (ipso Deo, ipso Dei verbo, ipsis Prophetis vel Apostolis; ipsis scripturis, & Israelis fontibus & montibus testibus) ethnicus est & publicanus.

15. Ex quibus sic probatis, ita concludo:

Quicunq; 1. certamen scripturæ ob meram causæ suæ diffidentiam declinant 2. hæreticorum ingenium scripturam calumniando strenuè imitantur, hincque 3. causæ suæ malæ turpe *νεροφύγετον* quærunt; hi non possunt non cauteriatam habere conscientiam; quando Lutheranos verbum Dei habere negant.

Sed Papicolæ scripturæ certamen ob meram causæ suæ diffidentiam declinant, hæreticorum ingenium scripturam calumniando imitantur; hincq; causæ suæ malæ turpe *νεροφύγετον* quærunt:

E. non possunt non cauteriatam habere conscientiam, quando Lutheranos verbum DEI habere negant.

THEO.



## THEOREMA II.

*Librorum in sacro codice comprehensorum necessaria dantur divisiones.*

1. Quid per sacram scripturam intelligamus, cuiusvis puto esse obvium, nempe verbum DEI, DEO iubente & volente & Prophetis & Apostolis in literas redactum, ut inde salutis nostræ fundamenta æternamq; vitam hauriamus.

2. Quæ sacra scriptura vulgato nomine dicitur Biblia, quod omnium librorum sit præstantissimus codex, item λόγος θεῶν ζων, Hebr. 4. v. 2. λόγια τῆς θεῶν, Rom. 3. v. 2. γραφή θεόπνευστος, 2. Tim. 3. v. 16. Πῆν ῥῶμα Esa. 34. v. 16. &c.

3. Patres eidem egregia attribuunt nomina, ut quod sit Φάρμακον τῆς ψυχῆς, medicina animæ, Chrysof. Epistola omnipotentis DEI ad creaturam suam, in quâ verba DEI sonant, & cor ejus discitur, Augustin. divina eloquia, velut animæ pabulum, Basil. in Psalm. 59. Item alexipharmacum, quo cunctis medemur morbis, anchora & sustentaculum fidei nostræ, Athan:

4. Hanc igitur scripturam, quæ omnes omninò ob causas sancta dicitur, autores dividunt I. ratione temporis, in Vetus & Novum Testamentum. Vetus agit de Christo exhibendo: Novum de Christo exhibito. Unde illud fundamentum Novi & à D. Paulo umbræ; hoc verò complementum Veteris & à Paulo corpori comparatur.

5. II. Ratione doctrine in legem & Evangelium. Lex docet facienda, & lethale vulnus nobis in paradiso inflictum monstrat, omnesq; qui eam accuratè non servant, æternæ interitioni destinant, ictuque maledictionis ferit, hinc Paulus; Lex iram operatur, Rom. 4. v. 15. & Gal. 3. vers. 24. pædagogum ad Christum nominat. Evangelium verò docet credenda, medicum morborum monstrat, & credentibus vitam æternam promittit. Unde dicitur potentia ad salutem omni credenti, Rom. 1.

6. III. Ratione authoritatis, in Canonicos & Apocryphos, quæ



quæ distinctio nō tā ipsius sacrae scripturae, quàm totius corporis  
biblici, prout hodiè circumfertur, ut hujus loci propria, ita &  
maximè necessaria est, partim respectu auctoris primarii, ne Deo  
adscribatur, quod Dei non est; partim respectu legentis & ap-  
prehendentis, ne pro verbo Dei habeat, quod tamen Dei ver-  
bum non est, adeoq; egregiè fallatur. Quam distinctionem,  
quum Jesuitæ nauci habeant, non possunt non egregiè *ὡς ἐστὶν  
τὰ ἑσκαμμένα τῆς ἀληθείας πηδᾶν.*

7. Dicuntur verò libri scripturae Canonici, non quòd au-  
thoritatem suam à Canone Concilii cujusdam (quod ut hanc  
potestatem non habet, ita eam elargiri non potest, quum nulla  
caussa agat supra suam naturam) teneat, sed quòd à Deo nobis  
sint constituti norma ac Regula, secundum quam unicè ince-  
dendum, Gal. 6. v. 6. unicè judicandum, Esa. 8. v. 24. sicut hoc  
nomen nec ipsi Spiritui sancto incognitum, Gal. 6. v. 6. Psal. 19.  
v. 5. Unde Augustino Scriptura hæc Canonica *statera firma, ubi  
doctrina quævis appendenda*, lib. 2. de Baptism. contra Donat. cap. 6.  
Chrylostomo *exquisita omnium regula & norma*, Basilio *γνώμων  
τῆς ἀληθείας dicitur.*

8. Sunt verò libri Canonici *vel Veteris Testamenti*, quales  
sunt 5. libri Mosis, liber Josuæ, Judicum, Ruth, 2. Samuelis,  
2. Regum, 2. Paralipomenum, Esdras, Nehemias, Esther, Job,  
Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum, 4. Prophetæ  
maiores cum Threnis, & 12. minores, qui in Hebræo pro uno  
libro, unde *ספר תורה* dicuntur, habentur. Qui libri à Chri-  
sto in Mosen, Prophetas & Psalmos, Luc. 24. v. 44. à Rabinis in  
*תורה* legem *נביאים* Prophetas, & *כתובים* hagiographa  
dividuntur.

9. *Vel Novi Testamenti.* Ubi notandum nos omnes libros,  
qui jam in codice N. T. habentur, pro Canonicis adserere, quum  
non tam (1.) *De autoritate & θεοπνευσία*, quàm de autoribus se-  
cundariis; neque (2.) etiam ab omnibus, sed à quibusdam tan-  
tùm sit dubitarum; qui postea melius à reliquis Ecclesiis, quæ  
vel *αὐτόγραφα* Apostolorum viderunt, vel adhuc common-  
strare valuerunt, eruditi, & ipsi in meliorem etiam sententiam  
iverunt.

10. Luth



10. Lutherum verò, qui initio reformationis quosdam etiam Novi fœderis libros ad seriem Apocryphorum retulit, excusamus, ut Papistæ, 1. *Patres*, quos habuit autores, 2. *Papistas* alios, à quibus idem factitatum norunt. Neque etiam nos in verba Lutheri, sed Dei, quæ Lutherus protulit, juravimus, quorum limites, quod tamen nullus hæctenus probare potuit, si fortè excessit, meminimus, Lutherum hominem & affinem earum fuisse rerum, quas fert fors humana, ut nempe quivis humani nihil à se alienum putet, quum præsertim citra salutis naufragium de uno atque altero scripturæ libro, modò pertinacia, quæ sola ἀθεεῖν & πῶν facit, non accedat, dubitari possit.

11. Apocryphi verò (nomen est ab ἀποκρυφῆν, quod idem ac abscondere) sunt, quorum occulta origo non claruit illis, quorum testificatione verarum scripturarum autoritas ad nos pervenit, quæ ratio est Augustin. lib. 11. cont. Faustum, cap. 2. seu, qui ζήσιμοι μὲν ἀλλὰ εἰς δόξαν οὐκ ἔστιν ἐν ἀναφαιρῶν, Epiphani. sive, quod ad morum edificationem, non verò ad comprobendam dogmatum Ecclesiasticorum autoritatem publicè legantur, ut Hieron. in prolog. sup. Prov. Salomon. ait.

12. Sunt verò Apocryphi vel extra controversiam tales, quales sunt sequentes, qui ab ipsis Papistis spurii & adulterini habentur, ut tertius & quartus Esdræ, tertius & quartus Maccab. ex quibus tertius in nonnullis Bibliorum codicibus invenitur. (videatur B. Meisner. dic. 1. Pontif. scripta Th. 24.) quarti Athanasius mentionem facit, sic. Psal. 151. appendix Jobi, & præfatiuncula quædam in Threnos Jeremiæ: vel adhuc de his controversatur, quos theoremate subsequenti producemus.

13. Differunt verò Apocryphi à Canonicis I. Formâ tum internâ, tum externâ. Illam dicimus ipsam θεοπνευσίαν, quæ libris (sicut formæ rei) dat ipsum esse Canonicum. Ubi tamen notandum, nos non improbare, vel litrem movere illis, qui sensum divinum, quem hisce literis divina exprimi voluit majestas, scripturæ formam internam nominant. Nulla enim Prophetia allata est voluntate humanâ 2. Pet. 1. v. 19. πάντα γὰρ φησὶ θεοπνευσία. 2. Tim. 3. v. 16. Hanc, quæ res externè à modo de-

B 3

nomina-



nominatur, & est Hebræa imprimis lingua, in quâ omnes libri Canonici V. T. fatente ipso Bellarmino lib. 2. (exceptis vers. II. Jerem. 10. quibusdam in Daniele, quibusdam in Esdra, quæ lingua Chaldaica sunt exarata, sed cum hæc lingua (1) tantum idiomate differat ab Hebræa (2) Hebræis in captivitate, sub qua & in cujus fine Daniel & Nehemias scripserunt, cœperat esse familiaris (3) ut plurimum regum mandata & res gestæ enarrentur, nihil roboris huic argumento decedit) conscripti sunt,

14. Differunt II. *Essentiali formæ consequente*, quæ est veritas non quælibet, sed Theologica, summè necessaria ἀναπόδεικτον, ἀμετάπτωτον καὶ ἀυτόπιστον. Et sanè Alberti Pighii de Ecclesia contr. 3. fol. 90. impia & blasphema vox non tam admiranda, quam publicis lacrymis deploranda, quando interrogando hæc eructare non veretur: *Quis vos certos reddidit, quòd scribentes (Apostoli) nusquam erraverint, nusquam dormitaverint, ut homines.* Melius Augustinus Epist. 19. ad Hieron. tom. 2. *Solus, inquit, eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quòd videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quòd dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.* Hæc ille.

15. Differunt III. *Causâ efficiente ministeriali*. Quæ vel adjuvans, vel conservans. Illa sunt Prophetæ, vel viri à Deo immediatè ad hoc electi. Exstructi enim sumus super fundamentum Prophetarum Ephes. 2. v. 20. Et Christus Luc. 16. inquit: *Habent Mosen & Prophetas, quos audiant.* Hæc iterum duplex vel Veteris Testamenti, & est Ecclesia Judaica, cui τὰ λόγια τῆς Ἰεῖς commissæ fuisse testatur Paulus Rom. 3. v. 2. Unde à patribus Judæi capfarii nostri audiunt. Quò maximè pertinent dicta Deut. 31. v. 26. Jos. 24. v. 26. 1. Sam. 10. v. 25. Esa. 30. v. 8. &c. ubi scripta Prophetica in arcam à Deo reponi jubentur. Vel Novi Testamenti, primitiva, quæ Apostolos audivit, scripta ipsorum vidit, ipsos vel ipsorum discipulos hac de re interrogare potuit. Quæ Becanus quæst. 1. §. 6. excipit, nullius sunt momenti. Vel enim



enim hi libri fuerē Canonici ante Innocentii declarationem, vel non fuerunt. Si prius, Ecclesia erravit, librum Canonicum pro θεοπνεύτω non habendo. Si posterius, praesens erroris erit rea, libros, qui Canonici non sunt, (Ecclesia enim Canonica auctoritatem impartiri non potest, Bellarm. l. i. cap. 10.) pro Canonicis venditendo. 2. Patres, qui longē post Innocentium vixerunt hos libros tanquam apocryphos e censu Canoniorum abesse voluerunt, quod non fecissent, si Ecclesia eos pro divinis habuisset. 3. Ecclesiae auctoritatem utpote testis, custodis, interpretis, vindicis &c. magni jure facimus, nulli tamen videre possumus, qui posterioris iudicium prioris, quae Apostolos audivit, ipsos de hac re interrogare potuit, sit praefendum.

16. IV. *Materia circa quam.* Quae καὶ ἐξοχλῶ ipse Christus, qui scopus totius scripturae. Unde Lutherus elegantissime in praefat. Bibliis germanicis praefixa: Daß (videl. Christus) ist der Mann dem es alles ganz vnnnd gar gilt. Et paulò ante: hie (nempe in scriptura) findest du die Windeln vnd Rippen Christi / da Christus innen ligt. Schlecht vnd geringe Windeln sind es / aber thewer der Schatz / so darinnen ligt. Unde Christus ipse, inquit, ἐγὼ εἶμι τὰς γραφὰς, quia ipsa de me testimonium perhibet, Johan. 5. vers. 39. & Psalm. 40. vers. 8. Ecce venio, in libro de me scriptum.

17. V. *Testimonio Spiritus Sancti interno,* quod Christianis internè largitur. Ut enim Spiritus Sanctus ἀρραβὼν ἡμῶν 2. Cor. i. v. 22. utque reliquos fidei articulos in piorum corde obsignat, nostroq; spiritui lætum illud testimonium perhibet, nos esse filios Dei: Ita etiam hac in parte lætitiæ & fiduciae suæ plenitudine nos firmos reddit, hisce tantum & non aliis libris contineri verum veri Dei ἀκίβδηλον καὶ γνήσιον verbum. Et quamquam hoc argumentum parum quidem roboris, quoad alios, habet, quum in sensus non incurrat, nobis tamen omnibus firmissimis & apodicticis argumentis est verius & firmitus, animosq; nostros jucundissimo solationis rore aspergit, robustissimeq; confirmat. Priora enim argumenta licet pondere & ratione



ratione gravissima, tamen historicum tantum sensum pariunt.  
Unde oportet spiritus gratiæ accedat, sensum salvificum ac-  
cendat, & *πληροφoρiαν* illam fidei gignat. Hinc Basilius bla-  
sphemix Arrianae impugnator & expugnator felicissimus in P. C.  
iis. inquit: *ἡ πίστις, ἔχ' ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ τοῖς  
τῷ πνεύματι ἐνεργείαις ἐξισομένη.*

Unde ponimus.

### THEOREMA III.

*Libri Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, Macca-  
beorum, unà cum additamentis Baruch, hymno  
trium puerorum, Historia Susanna, Belis, Dra-  
conis, nec non quibusdam Esthere Capitibus, non  
sunt Canonici.*

1. Hosce proinde libros non esse Canonicos, probamus ex  
theorem. præcedente, ita;

Quibuscunq; libris non competunt omnia scripturæ Cano-  
nicæ *ἡρώματα*, ( in differentia Canonicorum & Apocry-  
phorum enumerata, ) hi extra dubitationis aleam non sunt Ca-  
nonici.

Sed libris prædictis *ἡρώματα* prænotata non compe-  
tunt;

E. Non sunt Canonici.

2. Majorem suâ luce radiare, & apud omnes, nisi qui veri-  
tati *ἀποῶνδov* indixere bellum, in confesso haberi putamus, quâ  
præsertim eam ex abundantia in theor. præcedenti probaveri-  
mus. Minorem verò, antequam confirmatum eam, hæc sensib9  
reponenda imis propono (1) A deficientiâ unius signi rectè  
concludi, istum librum non esse Canonicum: sed à præsen-  
tia, unius vel alterius non integrum fore colligere, librū quen-  
dam esse Canonicum, quum omnes adesse debeant notæ, (2)  
hæcce cognoscendi media nos imprimis iis præscribere, qui scri-  
pturam admittunt. Cum pagano enim aliâ viâ res est aggre-  
dienda,



dienda, videlicet, 1. falsitas religionis, quam confitetur, mon-  
stranda, 2. verbum Dei statim prædicandum &c. exemplo no-  
bis Paulus Act. 17. v. 24. Et Spiritus Sanctus per verbum, ni-  
obicem posuerit efficax erit, sicut fructus hujus ἀξιωματικόν ἐ-  
στίν. exemplum in Concilio Niceno habemus Tom. 1. p. 215. U-  
bi Philosophus quidam doctoribus insultans indocti cujusdam  
verbis conversus est, nec spiritui loquenti resistere valuit.

3. His prænotatis Minorem invadimus, eamq; probaturi  
per sua membra. Igitur I. Hi libri non gaudent formâ scripturæ  
internâ seu ἱεροπνευσία, quia multa redolentia, non Spiritus S.  
humilem sublimitatem & sublimem humilitatem, sed humani  
ingenii fastum captumq; continent; Ut quod quidam sint ver-  
siones & compendia, ubi tamen nec πρώτοτυπα fuere authen-  
tica. Quidam eorum in veritatem Chronologicam & Histo-  
ricam impingunt, alii scripturis διωλογισμῶν καὶ ἀνατηρή-  
σεως Canonicis contradicunt, imò veniam si fortasse rerum  
Majestatem obruti in aliquo erraverint, petunt. Quæ omnia de  
Spiritu Sancto cogitare nedum adserere impyissimum, quum ni-  
hil tam sublime, quod ejus Sapientiæ altitudinem, nihil tam  
abstrusum, quod ejus scientiæ profunditatem, nihil denique  
tam involutum ac dispersum, quod ejus præsentiae limites &  
immensitatem excedat, fingi diciq; queat.

4. II. Carent formâ scripturæ Canonice externâ. Id est, non  
sunt perscripti linguâ Hebræâ. Sancti enim Prophetæ ut ad  
Judæos locuti sunt, ita aliâ linguâ uti noluerunt, quàm quæ  
Judæis vernacula & nativa. Quod ipsum præter Patres, quos  
adducere possem, & ipse primipilus Thaidis Romanæ Bellar-  
minus l. 2. de V. D. cap. 1. negare nequit, Certum est, inquit,  
Sanctos libros præter Esdræ & Danielis lingua Ebraica esse conscriptos, &  
illa ipsa, qua Adam & Eva & Patriarchæ omnes locuti sunt. Quum igi-  
tur prædicti libri non sint lingua Ebræa exarati, Canonici non  
erunt.

5. III. Carent essentiali & immediato formæ internæ Consequente,  
nempe Veritate. Palàm siquidem est, libros hosce multa ἀσύ-  
στα, ἀσύμφορα καὶ ἀλόγιστα alere ac continere. Confe-  
rantur,

C

rantur,



rantur, e. g. fragmenta Estheræ, cum ejus Canonico libro. cap. 11. v. 3. cap. 12. v. 5. 6. cum cap. 2. v. 19. cap. 3. vers. 1. 5. 6. cap. 6. vers. 3. Baruch, cap. 1. v. 1. 2. cum Jerem. 45. v. 6. 7. cap. 1. v. 7. cum Thren. 2. v. 6. 7. Judith, cap. 7. v. 2. cum Genes. 49. v. 5. 6. Tobia cum analogia fidei & cæteris scripturis, cap. 6. v. 9. cap. 8. v. 2. cap. 12. v. 12. Syracidis, cap. 46. v. 23. cum 1. Sam. 28. v. 6. 1. Paralip. 10. v. 13. Ejusdem cap. 48. v. 10. cum Christi asseveratione Judæorum superstitionem rejiciente, Matth. 11. v. 14. Maecabæi sibi ipsi litem parant, 1. Maccab. 6. v. 16. 2. Maccab. 1. v. 16. & 2. Maccab. 9. v. 28. tribus in locis miserimo mortis genere Antiochus perit. Sapientiæ est  $\psi$   $\omega$   $\delta$   $\epsilon$   $\pi$   $\gamma$   $\rho$   $\alpha$   $\theta$   $\omega$ , ut Hieron. in præfat. in lib. Salomonis ait. Sic Porphyrio disputanti ex Susannæ historiâ responderunt Eusebius & Apollinarius *eam cum Belus Draconisq; historia fabulas in Hebræo non contineri.* Cætera  $\alpha$   $\sigma$   $\upsilon$   $\nu$   $\phi$   $\omega$   $\nu$   $\alpha$ , quorum plura videri possunt apud Dn. Gerhard. in exeg. 1. 1. apud Dn. Schöder. in opusc. de princ. & alios, sicco pede lubens prætereo, concludens hoc membrum verbis Augustini lib. 15. de civit. Dei cap. 23. *In his Apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est Canonica autoritas.*

6. IV. *Carent causâ Instrumentali & Adjuvante & Conservante.* Constat post Artaxerxen (qui obiit Anno 4. Olymp. 88. annis ante Christum 423.) non fuisse  $\alpha$   $\nu$   $\rho$   $\epsilon$   $\lambda$   $\eta$   $\omega$   $\rho$   $\epsilon$   $\gamma$   $\phi$   $\eta$   $\tau$   $\omega$   $\nu$   $\nu$   $\alpha$   $\delta$   $\omega$   $\chi$   $\eta$   $\nu$  Euseb. lib. 3. c. 10. hist. Ecclesiast. Et Josephus lib. 1. contr. Apionem, ubi ipse enumerat nostro more scripta V. T. Canonica, addit; ab Artaxerxe usq; ad nostrâ tempora scripta ibidem sunt singula, sed non eadem, quæ superioribus illis fides adhibetur, propterea quod non fuit vatum certa illa successio. Imò & ipse Malachias hanc obscure usq; ad Johannem non futurum Prophetam indicat, cap. 4. v. 4. 5. Sed prædicti libri post Artaxerxen plerique sunt conscripti, ut  $\omicron$   $\phi$   $\theta$   $\alpha$   $\lambda$   $\mu$   $\omicron$   $\phi$   $\alpha$   $\nu$   $\epsilon$   $\rho$   $\omega$   $\varsigma$  demonstrari potest. Et de Ecclesiastico, Maccab. Sapiënt. supplemento Estheræ res in aprico est. Reliquos non esse Propheticos, patet, quia 1. alias in arcam essent repositi, 2. quia non idiomaticè Prophetico scripti, 3. quia falsa quædam continent.

7. Post-



7. *Posterius de causa conservante, seu, quod ab Ecclesia non sint in Canonem relati, probandum nunc est. Dividimus verò Ecclesiam in V. T. & N. T. primitivam. De illa res Papistarum confessione est plana. Sic enim Bellarm. lib. 1. de verbo DEI, cap. 10. Omnes libros, quos protestantes non recipiunt, etiam Ebraei non admittunt. Et Costerus in Enchirid. cap. de scriptura §. de num. lib. Isti libri (quos nos diximus Apocryphos) in Canone Judaeorum non habentur. Unde sequitur, si praedicti libri sunt Canonici, nec tamen ab Ecclesia Judaica pro Canonicis habiti, eam 1. graviter contra Papicolos errasse. Ita enim; Qui libros quosdam Canonicos pro Canonicis nec habet, neque etiam ratione officii indicat esse Canonicos (quod ex Pontificiorum thesi Ecclesia tenetur facere) is graviter errat. Atqui libri dicti sunt verè Canonici, nec tamen ab Ecclesia pro Canonicis habiti. E.*

II. *Verum DEI verbum non habuisse. Quum is, qui integrum Ecclesiae Romanae Canonem non habet, non habeat (ex hypothese Becani,) verbum DEI.*

III. *Nullam planè fuisse Ecclesiam. Ratio: Quia Ecclesia verbum DEI verum non habens, non est Ecclesia.*

IV. *Christum, qui ob alias deuterofes, quæ tanti momenti non sunt, Judæos non molli objurgavit brachio, ut & Apostolos criminis absolvi non posse, quod id Ecclesiae non indicarent. Quod posterius absurdum E. & prius.*

8. *Sed remoram nobis hic injicit Becanus in manual. cont. cap. 1. quæst. 1. §. 3. p. 3. Non est necesse, ait, ut soli libri habeantur Canonici apud nos Christianos, qui tales habiti sunt apud Judæos, hocq; probat testimonio Augustini (ad quod in theorem. subseq. respondeo) & ratione hac, quia Canon Judaeorum consignatus fuit ab Esdra, vel saltem tempore Esdra, ut pleriq; tradunt. Quid ergò mirum, si in illum Canonem relati non fuerint cum Maccabæi isto tempore non extiterint? Isidori testimonium, quod annectit, subseq. relinquo theorem.*

9. *Verum respondeo, Campas memorat Becanus. Probet enim 1. Judæos hos libros post Esdras in canonem suscepisse,*



& alium fuisse Canonem Esdræ tempore, alium post Esdræ.  
2. Esdræ tempore quosdam ex prædictis extitisse Papistæ ad-  
ferunt. E. etiam Esdras anathematis Trident. fulmine percu-  
tiendus, quod hos non receperit. 3. Si verò Ecclesia subsequens  
libros hos, quum sint canonici, in canonis auctoritatem non  
elevavit, quod Bellarminus & Costerus, ut vidimus, conce-  
dunt, criminum antè accusata erit rea. 4. Christus vel invi-  
diæ, quod noluerit indicare, vel timiditatis quod Judæos hoc  
nomine non accusarit, erit arguendus, quod utrumq; ἀτόπον  
5. Si Christi vel Apostolorum tempore fuissent Canonici, pro-  
cul dubio etiam ab ipsis ad confirmandâ dogmata essent addu-  
cti, quod tamen non factum novimus; neq; etiam Ecclesia pri-  
mitiva & patres de iis dubitassent.

10. Venio nunc ad alterum, quod à causa conservantē N. T. seu  
à primitiva Ecclesia desumitur, argumentum. Carent proindè hi  
libri adequato Ecclesiæ primitivæ testimonio. Quod membrum sic-  
ut papicolæ nullò modo probare possunt, adeò ut non tan-  
tùm non pede inoffenso in nostram descendant sententiam, ceu  
ipse Becanus Canonis constitutionem ultra Innocentii tempo-  
ra extendere nec vult, nec potest: Ita nos econtrario pro no-  
bis nostraq; sententia Patres & Concilia οὐοθυματῶν Canonem  
nostrum adprobantes, laudare possumus. Consentit 1. Hie-  
ronymus, quem planè stare à nostris, non tantùm ipse Bellarm.  
lib. 1. de verb. Dei. cap. 10. confitetur, sed & jus Canonicum  
ejus in indagandis libris Canonicis diligentiam adprobat. 2.  
Concilium Laodic. cap. 59. 3. Hilarius in explicat. Psalm. ut & 4.  
Miletus apud Eusebium, qui summum studium verè Canonicos  
ab Apocryphis discernendi adhibuit, eoq; nomine in ipsam  
Palæstinam devoratis, ut cum Sidonio loquar, itineris mole-  
stis, transvolavit. Plura testimonia desiderans, sicut & præ-  
cedentium verba, adire non gravetur, D. Gerhard. in exeges.  
l. 1. de scriptura, p. 89. ubi usq; ad pag. 106. Patrum, Conci-  
liorum, & Ecclesiarum consensum egregium enumerat. Neq;  
tantùm Patres à nostris stant partibus, sed & Pontificii qui-  
dam, ut Maurus lib. de instit. Cleric. cap. 54. Hugo de S. victo-  
re in



in prolegom. lib. de sacramentis cap. 7. Cajetanus & Erasmus, Hugo Cardinalis in proleg. Josuæ, cujus versus noti.

11. Carent etiam hi libri pleriq; materia circa quam, hoc est, nullum de Christo, cui omnes omnino Prophetæ testimonium perhibent, Act. 3. v. 23. & c. 10. v. 43. Johan. 5. v. 39. vaticinium vel dictum continent, unde etiam a Christo vel Apostolis nullibi laudati, licet aliàs Apostoli frequentes sint in adducendis Prophetis, adeò ut Paulus se nil extra Prophetas & Mosen locutum esse Act. 23. v. 22. affirmet. Aut proinde exempla proferant, aut nobis herbam porrigant.

12. Addenda nunc esset interna Spiritus sancti attestatio. Verùm cum hæc nobis, non aliis scripturæ autoritatem probet, eam nunc sicco, quod dicitur, pede præteribimus. Atq; hæc de Theoremate secundo.

Sequitur nunc.

#### THEOREMA IV.

*Malè E. Lutherani ob frivolas quasdam rationes, quasi verum DEI verbum non habeant, accusantur, quum heterogenea ab Homogeneis, spuria à nativis segregent.*

1. Etsi theorem. præcedent. satis superq; probatum dedi, libros hos non esse Canonicos *πρωίτως* sic dictos, ita ut Corybæo stultior, qui assensum non præberet: tamen quia nil adeò absurdum quod dicendo credibile, ceu ille inquit, Jesuitæ facere non allaborent, Acheronta potius moturi, quàm veritati cessuri, eorum & imprimis Becani *ἀθυρογλωσσία* videbimus, ne, quod dente Theonino rodatur, habeat.

2. Sic verò ait Becanus, lib. 1. cap. 1. quæst. 6. §. 2. *Non habent authenticum Canonem, quia nec Canon Lutheranorum, nec Calvinianorum unquam ab Ecclesia adprobatus.* Falsum hoc esse superiora docent. Et quod addit, id quæst. 1. nonnihil ulterius deducit §. 3. *Hic, inquit, Canon habetur in Concilio Tridentino sess. 4. Et*

C 3

patres.



patres illius Concilii acceperunt illum per Traditionem ab Eugenio Papa, in Concilio Florentino, ut videre est apud Bartholomæum Carranzam in summa Conciliorum. Rursum, Eugenius illum accepit à Gelasio Papâ, in Concilio Romano, ut patet ex 2. Tomo Conciliorum, in decretis Gelasii circa finem. Iterum Gelâsius ab Augustino, lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Et Augustinus à Concilio Carthaginensi tertio, quod alii quintum, alii sextum vocant. Denique Patres hujus Concilii ab Innocentio 1. Epist. 3. ad Exuperium, cap. 7. Vixit autem Innocentius Anno Christi 402. Igitur ab illo tempore primitivæ Ecclesiæ ad nos usq<sup>3</sup>, per continuam Traditionem, perseverat idem ille scripturæ Canon, quem nos Catholici nunc tenemus & amplectimur. Quod posterius esse falsum, testantur exempla à Dn. Gerhardo adducta l. suprâ laudato.

3. Hic antequam ad argumentum descendam, notes volo. I. Becani & Pistorii contradictionem. Hic enim in suo hodogetico, p. 2. adserit, omnes libros equaliter ab antiquissimis patribus usurpatos esse, & nullum planè inter eos esse discrimen, (licet ipse etiam sui oblitus eadem p. affirmet, quosdam aliquando fuisse Ecclesiasticos.) Iste verò Becanus contrarium hîc affert. Unde exspirat Costeri gloriatio, quando meros triumphos de Doctorum Ecclesiæ suæ consensu agit, sed quàm frustrâ sæpius à nostratibus monstratur, & hîc ejusdem exemplum.

4. II. Grata mente accipimus ingenuam Becani confessionem, quando ultra tempus Innocentii. III. Canonem suum extendi non posse affirmat. Ubi igitur (non injuriâ quærimus) manet antiquitas Ecclesiæ Romanæ, ad ravim usque repetita, inculcata. Confugiendum fortasse ad successionem loci perpetuam, quum religionis eos deficiat. Sed istam nec jus Canonicum adprobat. Sic enim dist. 40. cap. Non est &c. Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent operâ eorum. Et paulò post: Nos qui præsumus non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate. Nos verò sic: Aut Jesuitæ habent Canonem Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, aut non habent. Prius non possunt demonstrare, quod ipse Becanus inficias ire non potest (licet falsissimum Canonem tunc non fuisse constitutum, quum



quum aliàs, ex Becani hypothefi argumentor, nec verum ha-  
buiſſet verbum DEI.) E. non habent Canonem Apoſtolorum.  
Hinc :

Quicumque non habent Canonem Apoſtolorum & primiti-  
væ Eccleſiæ, hi Apoſtolici & orthodoxi non ſunt;

Sed Jeſuitæ Canonem Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ  
non habent.

E. Orthodoxi non ſunt.

5. Hæc tanquam ἐν παρώδῳ. Nunc ad argumentum ipſum.  
Tripliçi verò medio, ut loquuntur, vult probare ſuum Cano-  
nem; 1. à Papâ, à quo fluit. 2. à Conciliis, quæ hunc Canonem  
ex Papis hauſerunt. 3. à patribus, qui concilia receperunt.  
Hinc ita :

Quoſcunque libros Papa, Concilia quædam & patres pro Ca-  
nonicis declarant, hi ſunt Canonici.

Sed prædictos libros Papa, Concilia, Patres, pro Canonicis  
habent. E.

6. Verùm exoculatioꝝ eſſet Cyclope, qui animi conſpicillo  
non videret, vel maledicentioꝝ Hippocrate, ſi videret & diſſi-  
mularet, eſſe רַבֵּי נִבְנֶה לְעוֹלָם מֵנֶה, ut cum Rabb. di-  
camus, ſeu fore hoc ædificium valdè ruinoſum. Ruinoſa enim  
& Major & Minor.

7. Major in genere. Siquidem nos negamus Concilia, Pa-  
tres, multò minùs Papam Romanum poſſe Canonem conſti-  
tuere quod nihil aliud quàm Canonem facere. Ita enim I. Qui-  
cunque immediata Spiritus Sancti ἐλάμψει, ita ut errare ne-  
queat, non eſt inſtructus, ille librum Canonicum facere non  
poſteſt. Sed concilia, Patres, Papa, immediatâ Spiritus Sancti  
ἐλάμψει, ita ut errare nequeant, non ſunt inſtructi.

E. Librum Canonicum facere non poſſunt.

Minorem probo, quia ſunt homines, qui errori propinqui,  
& actu sæpè errarunt.

II. Quicumque ſcribit librum Canonicum, is etiam facit li-  
brum Canonicum; Facere enim & ſcribere librum Canoni-  
cum hoc in loco præſtant mutuas operas.

At.



Atqui soli Apostoli & Prophetæ scribunt libros Canonicos.  
E. soli Apostoli etiam libros Canonicos faciunt.

8. Καὶ ἄρα, 1. Concilia, Patres, Papa essent majores Apostolis. Summus enim honor normam sive Canonem constituere. 2. Ecclesia per aliquot annos caruisset Canone. Siquidem libri scripturæ vel fuere Canonici ante declarationem Conciliorum, Patrum, Papæ, vel non fuere. Posterius est absurdum, prius igitur si verum, ut est verum, E. Canonis constitutio non à Papâ, Conciliis, Patribus. 3. Niteretur ita Canonis constitutio humanâ authoritate, fidei q; analysis fieret ultimò in homines. Ἄνεσον enim Spiritus S. adstantiam probare non possunt; hinc nullum aliud, quàm humanum, licet anxie laborent, testimonium elicere possunt, unde πλεροφασία fidei minimè sequi potest.

9. Sed regerunt Conciliorum, Patrum, Papæ testimonium esse quoddammodò divinum, quia habent Spiritum S. adstantem in omnibus.

Resp. I. Ἐστὶ λαμβάνειν ἐν τῇ δεξιῇ. Ante omnia probanda Spiritus S. immediata adstantia, præsertim quoad Papam, quàm tanquam argumentum adduci queat. 2. Contrarium nos probare possumus, & ipsa praxis, quia sæpius errarunt, repugnat.

10. II. Si Conciliorum, Patrum, Papæ q; iudicio erit standum, vel hoc fiet, quia Concilia, Patres, Papa hoc ita dicunt, vel quia dicunt cum ratione, seu, quia firma θεοπνευστίας τεκμηρία proferunt. Si prius, erit testimonium ἄλογον, nullusque Christianus ἀπλῶς, nedum Ethnicus, sive paganus fidem adhibebit. Si posterius, proferant suas rationes, sed dum non Conciliis, Patribus, Papæ credimus, sed rationibus à Conciliis, Patribus, Papisque allatis.

11. III. Ex meris particularibus concluditur, Siquidem non omnia Concilia, non omnes Patres, neque etiam Papæ in hoc consentiunt, imò antiquiores patres, ut & Concilia pro nobis faciunt, ut supra demonstratum. Nec ex illo quod quodammodo est divinum, πλεροφασία fidei gigni potest. Quum fides immediatè verbo nitatur divino, & sint correlata.

12. IV. Con-



12. IV. Conciliorum, Patrum, Papæq; autoritas respectu pagani est planè dubia, nulla. Ut enim nec scripturæ, sic multò minùs istis credat, sed contra suorum Doctorum conventus, suos antecessores Rectoremq; allegabit. Sequetur igitur vel dari alium modum monstrandi librum aliquem esse Canonicum, vel paganum convinci non posse.

13. V. Papistæ nobis obtrudunt, quæ, quando ipsis contraria sunt, non recipiunt sed depravant, torquent, illis contradicunt, imò depravata esse concedere coguntur. Quomodo verò ex ejusmodi argumento, quod nec ipsi recipiunt, nec omninò purū, aliquid demonstrare poterunt? Ipse enim Bellar. laudante Dn. Gesnero, lib. 1. concil. cap. 2. p. 11. ait, (1) libri conciliorum negligenter conservati sunt, (2) multis vitiis scatent. Sic de Patribus, Franciscus Agricola in diatr. Evang. de conjug. sacerdot. cap. 6. p. 61. & 62. In citandis Patribus sequimur plerumque non sanctitatis prerogativam, sed temporis & ætatis, quâ vixere aut floruerunt, seriem. Et proinde Tertullian. sicut & Originem potius ob vetustatem, quam sanctitatem (nam in quibusdam ab Ecclesiâ ad errores pessimos descivere) in medium, quando Patres citamus, producimus: detestantes interim in illis, quod ab Ecclesiæ fide alienum est, neque enim Ecclesiam cum Patribus, sed Patres cum Ecclesia, & quatenus ac in quibus ab illâ probantur, recipimus. Illud admonendum duximus, ne quis nos ipsorum lapsibus colludere existimet. Hæc ille.

14. Duræus in confut. resp. Wittak. rat. 5. Patres non censentur patres, quum suum aliquid, quod ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt, vel docent. Depravationis insuper Papisticæ in Patrum scriptis, satis luculentum testimonium præbet index, ut nominant, expurgatorius, in quo p. 5 scribere non erubescunt, se in Catholicis veteribus plurimos ferre errores, extenuare, excusare, excogitato commento persepe negare & commodum iis sensum affingere, dum opponuntur in disputationibus, aut in consuetudinibus cum adversariis. De papis tandem constat quàm minimè sibi hi Vertumni constant, sed quod hic hodiè ratum habuit, alter cras anathematizat: quod hic figit, alter precio refigit. Exempla sunt in proclivi. Quis igitur tam dubiis tam incertis, falsatis, repudiatis salutis suæ negotium inniti pateretur.

D

15. VI. Unde



15. *VI.* Unde tandem concludimus majorem esse falsissimam. Magna enim quidem apud nos Conciliorum, Patrum, (Papae enim modernos non curamus) authoritas; sed tamen limitata ad verbum DEI, juxta quod si quid protulerunt *αὐθιγῶν*, quod dicitur, *ὡλένας* illud accipimus, si minus tanquam humanum ferimus, sed ad probare non possumus. Unde egregie Augustin. *contr. Maxim.* *Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam praedicatoris proferre Concilium: nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

16. Ad minorem nunc tandem respondeo & in genere, & in specie.

In genere, Patres nominando hosce libros Canonicos non observare *ἀκρίβειαν* Hieronymi & aliorum, sed *ἁπλοῶς* & *ἀκρίτως* loquendo hos etiam libros sacros, tum ob materiam, quia sacra tractant, quam a prophanis discernuntur, tum propter subjectum, quia sunt sacro codici copulati quum & imprimis, quia in Ecclesia ad morum aedificationem utiliter legebantur, nominant. Ipsos vero inter Canonicos verè ac *πρώτως* sic dictos collocare, aut pro divinis *ἀνάμφοις* καὶ ἐν ἀγαθήκοις habere negamus.

17. Quam distinctionem (1) ipse etiam Cajetanus, (quem Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. tit. Thomas de Vio, incomparabilem Theologum & inter doctissimos sui seculi eruditissimum nominat) adprobat, sic inquit: *Ne turberis novitie, si alicubi repereris (Judith, Tobiam, Maccab.) inter Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis, vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieron. limam reducenda sunt tam verba conciliorum, quam doctorum, & juxta ejus sententiam libri illi; & si qui alii in Canone Biblicae similes non sunt Canonici, id est, regulares, ad firmanda ea, quae sunt fidei, possunt tamen dici Canonici, id est, regulares ad aedificationem fidelium, utpote in Canone Biblicae ad hoc recepti & autoritati.*

18. Nec ipsi (2) Augustino haec distinctio contraria; quin egregie conveniens, qui non tantum sui sed & hujus concilii, cui interfuit, optimus interpres. Sic enim lib. 2. de doct. Cristi. cap. 8.



cap. 8. Tenebit, inquit, scripturarum indagator hunc morem in scripturis Canonis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur Ecclesis Catholicis, proponat eis, quas quaedam non accipiunt. In eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, proponat eas, quas plures, gravioresque recipiunt eas, quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiae tenent. Item libros Maccabaei alibi, sobriè legendos esse, suadet. Ex quibus apparet Augustinum non semper accuratè sed interdum vulgariter esse locutum.

19. Si quis proinde huc accommodaret distinctionem pontificiorum quorundam, imprimis Bellarmini, Stapletoni & aliorum, quae distinguunt inter *πρωτοκατοικησ* & *δευτεροκατοικησ* observato tamen discrimine Augustini (qui itidem lib. 17. de civit. DEI. cap. 20. adversus, inquit, contradictiores, non tanta firmitate proferuntur, quae non sunt in Canone Hebraeorum, & illo Ruffini, quod hos quidem Ecclesia legi voluerit, non tamen proferri ad auctoritatem fidei confirmandam,) modò hæc istis non æquiparentur, sed multis parasangis & tanquam *δευτερον* seu secundarium quid adferantur, nos non habebit adeò contradicentes.

20. Nunc in specie respondendum & (1) quidem ad Paparum auctoritatem, quod hæc prius sit demonstranda, quam tanquam *αποδεικνυδν* argumentum proferenda, præsertim cum plurimi eorum (quin & hodierni omnes) errarint, imò fuerint sceleratissimi, ut infra. Videatur Dn. Schroderus in opusc. de princip. Theol. ubi longam seriem Pontificum damnatorum & impiorum recenset. (2) Innocentium tamen quod attinet, is in epist. ad Exup. 4. suam sententiam tantùm narrat, nec facti rationes adfert, multò minus in dissentientes fulmen anathematis, ut facit Concilium Tridentinum, vibrat.

21. Concilia quod concernit, respondeo, Tridentinum & Florentinum, quorum illud anno 1560, hoc 1431. habitum est, nos non obligant, quum nova & Antichristi conciliabula. Ad concilii Carthaginensis auctoritatem repono, (1) istud concilium non fuit generale. (2) Papistæ ipsi non omnes Canones istius concilii recipiunt. Numerat enim quinq; libros Samuelis. Can. 26. statuit, ne primæ sedis Episcopus dicatur summus Sacerdos, aut Princeps sacerdotum. Idem extra Canonem re-

D 2 lin



linquit Maccab. & Baruch. (3) Fortè huic concilio contigit, quod in genere de conciliis affirmat Bellarminus (huius the- orem. m. 5.) Canon enim iste, qui communiter 47. habetur, est in quibusdam libris can. 34. alterius concilii sub Bonifa- cio, cuius etiam in clausula fit mentio, qui longo tempore post Siricium vixit. Annot. Dn. Gerhard. in Exegesi. (4) Nos hu- ic concilio recentiori antiquius opponimus, nempe Laodice- num, quod nobiscum facit.

Ad Augustini testimonium respondeo, i. quòd loquatur ge- neraliter, ut supra demonstravi. (2) Ea sententia Augustini aut est privata & nos non obligat, aut communis toti antiquitati. Et sic eam hausit, vel ex scripturis, quod non potest probare, vel ex aliis antiquioribus, quòd quàm diu non probatur, à no- bis repudiatur.

Ad Isidori autoritatem, idem responsum sit.

## CAPUT II.

### De Textu Authentico.

#### THEOREMA I.

*Negare Lutheranos habere verbum DEI quòd versionem  
authenticam non habeant, est signum i. impietatis,  
2. malitiæ, 3. cauteriatae conscientie.*

i. Vidimus hætenus, bono cum DEO, primum membrum Becani, quo probare nifus fuit, nos non habere verum DEI ver- bum, quia Canonem verum non habeamus. Sed quàm egregiè, lectoris sit iudicium. Consequens nunc est, ut ad alterum eius argumentum accessum faciamus.

2. Negat verò Becanus nos habere verum DEI verbum, quia, inquit, quæst. 6. §. 3. non habent versionem authenti- cam scil. latinam. *Digna certè ratio, quæ amphitheatro Romano in- scribatur!* Cur non sic, mi Becane? Lutherani non habent ver- bum Dei, quia nostras in verbo Dei corruptelas, non recipiunt, eodem enim res recidit, quum vulgatam versionem pro au- then-



thentica habere, idem fit, ac ejus errores adprobare & pro vero habere.

3. Ut igitur Papicolæ, qui in aliorum vitiis serpente Epidaurio perspicaciores, in suis verò talpâ cæciores sunt, Becanum *τῆς Αγίας ἀπώστια* laborare meliùs videant, dico ipsum esse (1) impium, quia contemnit Ecclesiam Apostolicam. (2) malum, quia nobis affingit, quod nostrum non est. (3) cauteriatum, quia, quod quæst. 2. subdolè suppressit & verbo leniori emollit, quando venenum eleganti pyxide occultat, id tandem quæst. 6. eructat, & mendacio nobis invidiam parare cupit.

4. Ejus igitur verba in forma sic se habent :

Quicumq; non habent versionem vulgatam latinam pro authentica, illi non habent verbum Dei.

Atqui Lutherani non habent versionem latinam pro authentica. E.

5. Sed majore sic positâ, quæ aliter formari nequit; subsumo; Atqui Apostoli & Ecclesia primitiva plus mille annorum vulgatam versionem pro authentica non habuerunt. E. Non habuerunt verum Dei verbum.

6. Neque est, ut excipias, versionem hanc ab Ecclesia jam esse receptam pro authentica, licet tempore Apostolorum nondum fuerit. Respon. enim 1. negando, ejusmodi potestatem Ecclesiæ esse concessum, ut versionem aliquam vitiosam pro authentica & regula possit obtrudere 2. Quærendo, quænam Ecclesia hoc fecerit? *Non Apostolica*, ut patet, *nec primitiva*; siquidem Hieronymo versionem hanc adscribere voluit, qui quarto demum seculo à Christo nato vixit; *nec subsequens* per mille ferè annos usque ad Concilium Tridentinum, quod sibi sumere hoc non erubuit, sed iniquè. Notæ enim sunt plurimorum Aristarchicæ in vulgatam versionem notæ, ut Lyrani, Isidori, Clarii, Thomæ Cajetani, Ludovici Vivis, Erasmi Roterodami, cujus annotationes in N. T. ipse etiam Leo X. adprobavit, eumque in præfatione dilectum suum filium nominans, ut in posterum scripturæ emendandæ operam locet, hortatur, licet Con-



cilii Tridentini Areopagitæ post aliud statuerint. Verum hoc  
ausi minimè fuissent, si authenticæ nomine, Ecclesiæ fuisset  
commendata. 3. Ad eos, qui nesciunt, quid sit λαμβάνειν ἐν  
τῇ δεξιῇ eum amandando, dum ita differit: Versio Latina est  
authenticæ, quia nos Romani dicimus. 4. Reperendo, si est  
essentiale verbi divini κειμήλιον, ita ut ei, qui versionem lati-  
nam jam authenticam non habet, non sit verbum DEI verum,  
ex hypothesi Becani, utique semper in Ecclesia vigere debuit.  
Aliàs cum Ecclesia vera necessariò verum DEI habeat verbum,  
& tamen fuit aliquando, nec verum DEI verbum habuit, quod  
αὐθεντικόν. Unde sic:

Quicumque Ecclesiam Apostolicam ut & primitivam verum  
DEI verbum non habuisse blaterat, ille summam impietatis no-  
tam incurrit.

Sed Becanus verum DEI verbum non habuisse blaterat E.

7. Alterum nunc de malitiâ probandum venit, quod facile  
probo, siquidē nobis sciens volens fraudulentè affingit, quod  
ne per febriam quidem somniavimus. Ait enim nos non unam,  
sed multiplicem versionem, & imprimis Lutheri pro authen-  
tica habere. Sed quis nostrum hæc docuit? scripsit? Nominet  
unum, aut cum larvis dimicabit, suiq; cerebri figmentum ho-  
minibus adorandum præbebit. Lutheri quidem versionem,  
jure magni facimus, sed ad αὐθεντίας thronum non elevamus,  
siquidem versio est, & proinde authentici exemplaris nomine  
salutari nequit, quum contradictionem involvat.

8. Sed facile condonare hoc possemus Becano, qui hanc  
veritatem Jesuiticam ex Bellarm. didicit, qui lib. 2. de verbo  
DEI, cap. 10. nos solam Lutheri versionem judicare authen-  
ticam, ait; nisi exinde (ceu vulgò dicitur ἐνὸς ἀτόπου διδόν) & πολ-  
λα ἔπεται) & ipse egregium mendacium elicere veller, nos  
videlicet non habere verbum DEI.

9. Videns verò hic κύων callidus, se risum, potius quàm af-  
sensum moturum, si veram nostram sententiam proponeret,  
captionum laqueis obgannit, & statum controversiæ evertit,  
nobisque aliena tribuit, quo vel solo antiquitatis nomine, cui  
plerique divini quid inesse putant, Forst. in præfat. lex, retho-  
ricari,



ricari, & illos, quibus illud Papisticum *αὐτὸς ἴσα* nimis quantum arridet, in suo errore confirmare, nobisque apud nostros huiusmodi graviosem parere possit. Unde sic:

Quicumque in fraudem alteri mentem peregrinam affingit, hinc malitiæ notam incurrit.

Sed Becanus nobis in fraudem mentem alienam affingit:

E. Becanus malitiæ notam incurrit.

Ὅτι περὶ ἰδὲς δὲ ἴσα.

10. Hinc etiam in fumum abit summa illa felicitas & similitudo de patrefamilias, quam quæst. 2. §. 3. p. 5. Cacolicorum esse dicit. Nobis istam jure vindicare possumus, qui non tantum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, sed & ipsius DEI verba nihil immutata retinemus, & cum Christo Patre nostro familiam eadem lingua utimur. Secus Papistæ, qui linguam Patriarchis ignotam, Christo, Apostolis inusitatam, introducunt.

11. Tertium, apparet ex præced. & de conscientia cavèriata, ex inconstanti ad se veratione. Becanus enim sua in conscientiam convictus, se nobis egregiam facere injuriam, nec tamen aliter se facere posse, si velit quid obtinere, frenum in principio, ne librum statim in fronte spurco mendacii luto contaminet, non mordet, sed anguem sub herba occultat, ut panem monstrans, lapidem porrigere queat. Sic enim, quæst. 2. format statum controversiæ, quamnam versio sit legitima, suamque (nempe vulgatam Latinam) esse legitimam (licet & hoc non demus) probat. Quæst. verò sexta ex dictis, ut inquit, nos non habere versionem authenticam, sed solam latinam hoc jure gaudere, colligit. Sed mi Becane, siste, satis acutè? Ubinam hoc probasti? Certè in. c. 2. ne verbuli quidem authentici facis mentionem, & tamen hic tanquam probatum præsupponis? Idemne tibi est esse authenticum & legitimum? Minimè gentium. Eadem in lingua, qua instrumentum est publicè perscriptum, etiam est tantum authenticum, licet per *Notarii vidimus*, ut loquuntur, versio quædam sit legitima & bona evadat. Sed ita Becanus in fronte voluit esse levis ne fraus conspiceretur, in fine gravis, (sed mendacis) ut imperitis & non probè attentis imponeret.

THEO.



THEOREMA II.

*Textus Ebraus, quo DEUS Vetus Testamentum, & Græcus, quo NOVUM conscribi voluit, est authenticus.*

1. Augustinus fulgentissimus ille Christianæ Ecclesiæ Sol Vetus & Novum Testam. Instrumenti nomine ornat. Et sanè adpositè. sicut n. (ex foro politico, nō logico hæc sunt desumpta) notarius publicus auctoritate ac potestate à Cæsare vel ἀμέσως vel ἐμμέσως sibi concessa, instrumentum quoddam erigit: Ita & sancti DEI homines DEI auctoritate instructi, omnem DEI voluntatem literis consignarunt, consignatam Ecclesiæ tanquā fidei custodi tradiderunt, traditam Ecclesiæ sanctam rectamque conservare allaboravit.

2. Ut verò instrumentum in nulla alia lingua, quàm in eâ, quâ publicè perscriptum, est authenticum, ita ut de versione privati cujusdam, vel etiam de sensu exorta cōtroversia ad πρῶτον ἰστορητικόν unicè recurratur: Sic DEI instrumentum in nulla alia lingua, quàm in eâ, qua primùm est perscriptum, poterit esse authenticum.

3. Verùm papicolæ animadvertentes fontes pluribus in locis purius fluere, quàm ut inde vel ementito colore sua impia dogmata excusare queant, κενὸν φέρον quærunt, versionemq; latinam non sine contradictione in adj. cto canonizarunt & authenticam esse proclamant.

4. Sic enim Concil. Trident. sess. 4. decernit; *Vt vetus vulgata editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & nemo, illam quovis prætextu rejicere audeat.* Cui impio effato omnes subscribunt, licet Bellarminus, Canus & Huntæus in certis casibus ad fontes recurrendum suadeant, & sic illud quovis prætextu non curent.

5. Unde status controversiæ, quem subdolè in fraudem reticet Becanus, hic emergit, an textus Ebraus in Veteri, & Græcus in Novo Testamento, sit authenticus. Nos affirmamus, Pontificii negant.

6. Quum



6. Quum verò Becanus nullum argumentum proferat, neque etiam sententiam nostram, sed tantum *κακοζηλίαν* quorundam nasutorum, qui, ne Luthero quid cedere videantur, & ipsi Bibliorum interpretationem aggrediuntur, fidere tamen infelici, cum quibus nobis ut & Luthero nihil commercii, perstringat, nos etiam *συντόμως* agemus, & unicum argumentum afferemus, quod tale.

7. Ad quod exemplar omnes omninò versiones sunt ultimò revocandæ, illud extra controversiam est *αυτόπιστον & αυθεντικον*. Sed ad exemplar Ebraicum in Veteri, & Græcum in Novo Testamento omnes omninò versiones sunt revocandæ, corrigendæ. E. Exemplar Ebraicum est *αυτόπιστον καὶ αυθεντικον*.

8. Major firma. Minorem probo, I. ab instrumenti sive Testamenti ratione. Omne enim Instrumentum, ut & Testamentum in eâ tantum linguâ est authenticum, in quâ perscriptum. Quæro enim, si quis privatus Brevia, ut vocant, Papalia in aliam linguam transfunderet, & versio hæc communi gentis suffragio susciperetur, an tamen propterea esset authentica, ita ut controversia ortâ ad versionem & non ad fontes recurratur? Nullus certè affirmabit. Quî igitur verbum Dei deterioris potuerit esse conditionis, quàm verbum Papæ?

9. II. A praxi Ecclesiæ Judaicæ & primitivæ Apostolicæ, quæ hanc scripturam legerunt, in controversiis adduxerunt, versionesque & dicta secundum hujus linguæ trutinam expenderunt. Quidni ergo & nos horum exemplum imitemur? placet huc adponere Hieronymi testimoniû, qui in comment. c.8. Zach. ait, *Cogimur ad Hebraeos recurrere, & scientia veritatem de fonte magis, quàm de rivulis quærere*. Et Augustinus, *duabus aliis hominibus latinis opus esse asserit, nempe Ebraea & Græca lingua, ut ad exemplaria precedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit infinita interpretum latinorum varietas*. Unde D. Zeemannus conclavi quodam Cænobii Lavingani monasticis literis hoc adscriptum affirmat, *nempe Ebrais fontes, Græci rivulos, Latini paludes bibunt*.

10. III. Ex ipsorum Papistarum concessione. Plures proferre possumus, sed sufficiat (r.) Jus Canonicum. Siquidem

E

Gra-



Gratianus (citatur in præfat. quæ Bibliis Pagnini est præfixa) in decretis suis distinct. 9. dicit: *Veterum librorum fides de Hebrais voluminibus examinanda est; ut novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.* (2.) Bellarminus quatuor tempora adsignat, quibus ad fontes recurrere licet, lib. 2. de V. D. c. 11. (3.) Huntlæus tres adponit causas, ubi rectè & utiliter consuli Hebraicum textum adferit. Sed causam cur non semper consuli debeat nullam, nisi illud, sic volumus, proferre possunt.

11. Verùm excipit Huntlæus, textum Hebræum esse 1. valde ambiguum c. 7. in epit. controver. fidei controver. 1. 2. valde corruptum; quod postremum probat (α) à punctis recens excogitatis, c. 8 (β) librariorum incuriâ c. 9. (γ) industria Judæorum in Bibliis pervertendis.

12. Hæ sunt rationes, quibus textum Ebræum è throno *αὐθεντίας* de jicere conatur. Exempla quæ affert *συζητήσῃ* reservamus, ad rationes in genere paucis respondemus.

13. Prima igitur ratio de ambiguitate, si tanti esset momenti, ut fontes authentia excidere faceret, nulla omninò lingua posset esse authentica. Quia in qualibet lingua, quum vocabula finita, res verò, ut dicitur, infinitæ, ambiguae occurrunt locutiones, & certè quid clarius hisce verbis: In principio erat Verbum, & tamen vel duocedim sensus possunt accommodari, & à Photinianis accommodati sunt. Quum præsertim *ἀμὰθεῖς καὶ ἀσήμῳι τὰς γλωσσὰς σφραβλῶσι.* 2. Pet. 3, 16. 2. Argumentum procedit à particulari. Quod enim in uno loco dicitur obscurius, in altero clarius proponitur. Egregiè Gregorius in exposit. in Job. *Quemadmodum scriptura, inquit, simplices superficie refovet, ita sapientes mysterio exercet. Habet enim in publico, unde parvulos nutriat; & servat in occulto, unde mentes sublimiùs in admirationem dulcedinis suspendat, quasi fluvius quidam mirabilis, planus simul & altus, in quo agnus peditat, & elephas natat.* 3. Ipse Huntlæus Bellarm. Canus & alii ad fontes recurrendum concedunt, quando latina est ambigua, vel erronea videtur. Etiam concedant, nolint velint, Hebræum textum non tam ambiguum, in quibusdam quàm latinum, nec adeò errore sub-

mer-



mersum. Ad obscurius enim & magis ambiguum & erroneum  
à claro recurrere, esset insania.

14. Secundum planè nego. Si verò in uno aut altero libra-  
riorum incuria, quod tamen nondum probatum, vitium quod-  
dam esset illatum hoc non obstaret, quò minus esset *αὐτόπιστος* (Sicut ipse Becanus ratiocinatur in apol. contra Garr. pag. 135)  
Quum nullus codex, cui interdum non *σφάλμα* aliquod *τυ-  
πογραφή* irrepat, dari queat, & latina versio *fedissimarum  
corruptelarum monstra*, ut Linda. Papista lib. 3. de opt. scripturæ  
interpr. gen. c. 4. p. 106. ea nominat, contineat. vid D. Zeam. in  
Basi ubi vel sexcenta adjecit, p. 103.

15. Ad probationem verò ejus primam respondeo, negādo  
Tiberienses sapientes punctorū esse inventores, I. Quia historia  
Judaica ultra 400. annos in terra Israël extendi nullo modo  
potest, & tempore Hillel, qui anno Christi 340. celebris fuit, *Magi-  
strorum promotio in terra Canaan fuit sublata*. Unde in Tzemach  
David, ubi de Hillel agitur f. 47. & in ipso, dicitur, *desierunt  
promoti in terrâ Israel*. Et in Schalselet f. 34. *dicitur finis promotio-  
rum in terra Israel*. Ubi verò promotiones cessant, ibi studia  
florere nequeunt, cum honoris templum semper excipiat tem-  
plum laboris, unde igitur tot sapientes Tyberide habitare aut  
confluere potuissent?

16. II. Nullum fuisse historicum, qui tam insignem circa ver-  
bum Dei laborem strictè pertexeret, facilius dicitur quàm pro-  
batur, quum tamen ea quæ de Thalmud & Hierosolymitano  
& Chaldaico gesta sunt, strictissimè observarint, & historiam  
Judæorum in Chaldæa usque ad 1000. annum persecuti sint  
*απεβῶς*, quin & ejusmodi censura reliquarum in Chaldæa Ec-  
clesiarum ad probationem vel maximè postulasset.

III. Rabbini contra Eliam Levitam probant punctorum &  
accentuum mentionem fieri in libris ipso Thalmud antiquio-  
ribus, quales sunt, *ספר הבהיר* liber Bahir, *ספר הזוהר*  
liber zohar, *תקונים* elucidationes super zoar. Ubi notandum,  
quod prior, qui est R. Jechonia ipso Salvatore nostro sit anti-  
quior. Exempla qui cupit, adeat Buxtor. in Tyber. unde nos hæc.

17. IV. Caruisset scriptura tanto tempore sua anima, quam



Rabbini puncta dicunt; quin & fuisset obscura, maximè que ambigua, ut legens semper Oedipo aut Delio natatore opus habuisset, imò ipse Hieron. quem vulgatæ versionis autorem plurimi statuunt Papistarum, sæpe non potuisset non in errorem, judæorum credens traditioni vel rationis suæ decempedam sequens, abripi, quum immediatam Spiritus S. adfistentiam probare non possint. Atque sic nec suæ versionis veritatem probare valerent. quum sæpe voces iisdem literis exaratae aliter tamen punctatae diversissimam & planè contrariam habeant significationem. Exempla in conflictu petentidare possumus.

19. *V.* Si Masorethæ essent punctorum inventores, quid opus habuissent tam irregulariter & contra ἀναλογίαν plurima punctare, & in margine demum istam anomaliam adponere, & sic gemino labore, unum, quod dicitur, dealbare parietem. Exempla cuivis, nisi fortè hospes in Hebræis sit, sunt obvia. Et 7. quid opus habuissent, in quibusdam tantum puncta in textu ponere, literis in margine demum adsignatis. Nempe nihil voluerunt in lege mutare, sed sicut invenerunt intacta omnia relinquere, ac in margine suū de his adponere judiciū.

19. Accedit ultimo loco, quod Dn. Gerhardus in exegesi adducit, Christi adfertio, Matth. 5, 17. cui parallelus, Luc. 16, 17. Amen Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra jota unum aut unus apex non præteribit à lege. Sicut vero minima Hebræis litera, ita etiam nomine κεραία puncta venire nulli dubitandum. Apices enim propriè sunt eminentiæ in aliquà re. Hinc quia puncta vel imponantur, vel subscribantur unum tantum Schureck in medio ponatur, Christus ea κεραία vocavit.

20. Possem hîc ingentem Papistarum seriem proferre, qui hac in parte Huntlæo contradicentes hanc operam, quod non nihil tolerabilius, Esdræ adscribunt; sed propero ad alterum de incuriâ librariorum. Dicit enim Huntlæus c. 9. *tertio tempore brevi spacio Biblia adeò esse corrupta, ut nisi Judæi adhibuissent remedium, vix duo inventa fuissent exemplaria, quæ in omnibus convenirent*: Sed quum hæc nudè adferat, nos probationem urgeamus. Eliæ Levitæ autoritatem ne teruncii aestimamus, quum



multos alios antiquiores & recentiores Rabbinos ei opponere queamus, præsertim quum & argumenta à divina providentia, patrum autoritate, zeloque Judæorum erga scripturam in contrarium militent.

21. II. Dicat an publica an privatâ autoritate hæc depravatio sit facta. Non illud, quod ipse Huntl. p. 38. §. 14. concedit. Ergò hoc. Qui verò unus aut alter omnia exemplaria corrumpere? imò nonne impossibile quod paucissimi Rabbini suam hanc malitiam cæteros Judæos celare potuerint, ut l. d. Huntlæus, qui ipsi exemplaria habuerunt, nec non diligentissimè legerunt, contulerunt?

22. III. Valet hic Orig. lib. 8. in Esa. & Hieron. in c. 6. argumentatio. Agebatur enim tum temporis *μυστηριον* illud *αδιαιας των μισογερτων*. Si scripturas, dicunt, Judæi aliquando corruerunt, vel id fecerunt ante Christi adventum, vel postea. Si ante, quare Christus & Apostoli nunquam eos de tam insigni crimine accusarunt, præsertim cum leviora non tacuerint? cui etiam credibile erit Christum Joan. 5, 3. Matth. 23, 2. ad scripturas corruptas legendas sine ullâ præmonitione invitasse? vel ad corruptores audiendos & sequendos amantasse? sin autem post eundem id factum est, quo pacto testimonia à Christo & Apostolis citantur, omnia ferè nunc inveniuntur in Mose & Prophetis, uti ab illis citata? Num quid fortè ea sic protulere, ut per spiritum cognoscebant depravanda postmodum à Judæis fuisse? Absorunt. E. Nnnquam corrupta.

23. IV. Ecclesia & imprimis Papa, Christi, si Diis placet, vicarius negligentia imò criminis absolvi non posset, quod 1. hoc Ecclesie non statim indicarit, fontesq; fugiendos edixerit. 2. non prospexerit, quò in Ecclesia exemplum aliquod purum retineatur.

24. Ad tertium respondeo; si Judæi de industria voluissent sacrum codicem corrumpere, utiq; 1. ea imprimis loca corruptum juvissent, quæ ipsis maximè contrariantur, quod tamen non factum. Bellarm. enim sepe, inquit, *codices Hebraei magis Judæos vexant, quàm Latini aut Græci*. Quod ipsum etiam Johannes Isaac contra Lindan. probavit. Et imprimis Dieghius Payva Andradius in defenf. Trid. fid. lib. 4. f. 247. probat, si



quis Judæorum petulantiam coercere, dementiam reprimere, perfidiam coarguere velit quod multò apertior: & illustriora ex hebrais, quàm Latinis deducere possit. Et hoc ulterius, judæorū plurimorū non vulgaris, ut inquit, eruditionis, qui lectione Esaia ad fidem sunt permoti, exemplo probat. Exempla ut & reliqua, quæ objicit, brevitatis gratia præterimus, & ex his duo elicimus *וּפְסוּמָה*.

I. *Papista sunt injurii in Deum*, siquidem vero dissonum Deum, qui Ecclesiæ suæ optimè semper prospicit, admisisse, verba Prophetarum suorum ut corrumpere Judæi; præsertim quum hunc in finem per totum orbem eos dissiparit, ut libros legis & Prophetarum secum circumferrent, quò paganos divinitatem horum librorum negantes ad nostros inimicos amandare queamus.

Sunt 2. injurii in Judæos, siquidem constat quanta diligentia, quanta cura judæi Biblia semper custodiverint, ita ut *quemlibet Judæum centies potius moriturum quàm pati, ut lex in uno mutetur, adserant*, Josephus contra Appio: Philo & ex eo Eusebius lib. 8. c. 2. August. Hieron. *Moderni etiam Judæi jejunium indicunt, si forte in terram cadat*, Johann. Isaac in respons: ad libros Lindani de opt. gen. interpr. scripturæ. Imò ut nullus vel unum Jod posset tollere Masorethæ, qui longè ante Tyberientes fuere, quod Hundlæus ipse non sine contradictione demum incautus concedit, quando affirmat Rabbi Jacobum, quem punctorum & masoræ autorem supra fecerat, c. 10. inquisivisse in Masoram sui temporis de *מסורה* p. 2. *omnes legis literas, versuum initia & fines, quoties dictio sic, quoties aliter punctata occurrat, quæ media legis litera, quæ cujuslibet capituli, &c.* stupenda sagacitate & inimitabili labore adnotarunt. Hinc Aben Ezra scribit in principio libri *מסורה* Certè inquit, merces magna autoribus Masoræ debetur, qui sunt *בשמי* *היו-ות העיר* quasi septum veteris Instrumenti ad omnem inde labem, mendumq; depravationis submovendum & propulsandum.

De textu Græco in specie nil addo, nec Huntl. rationes ob pagellarum angustiam examino, quum præsertim non tam rationibus, quam conjecturis nitatur, de quibus in conflictu.

THEO



## THEOREMA III.

*Versio Latina nullo modo est authentica.*

1. Vidimus hactenus fontium auctoritatem. Audivimus argumenta & nostra & pontificia pro authentia textus Ebraici. Consequens E. omnino videtur, videre, an versio latina jure authentizari queat. Illi adserunt, nos negamus, 1. ob vitia 2. ob Ecclesiae primitivae auctoritatem.

2. De primo non opus ut longè laboremus, constat in versione latina esse vitia, 1. *graphica*, 2. *Grammatica*, 3. *pleonastica*, 4. *elliptica*, 5. *chronographica & historica*, 6. *dogmatica*, &c. Videatur Dn Schröterus in opusc. Theol. ubi hunc ordinem observavit, & exempla adduxit. Nos unico erimus contenti, (quum ipsi etiam Papistæ negare nequeant, plurimis erroribus vulgatam scaterere versionem. Sic enim Jfidorus Clarius, Papista Vid. Dn. Schröd. l. d. *se octoginta millia errorum in veteri ista vulgata versione emendasse scribit.* Et Lind. l. lib. 3. c. 9. Editionis, inquit, *vulgaris loca extant plurima, quae aut mendosam habent lectionem, aut sententiarum continent corruptelam*) Gen. 3, 15. verba sic sonant in Ebraeo:

וְהָאִשָּׁה יִשָּׁפֵק רֹאשׁ וְהָאִתָּה תִשָּׁפֵק עָקֶב

Pagninus sic reddidit: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. Nempe habetur in illo *πρωτοεὐαγγέλιον* de femine Christo contrituro caput serpentis, hominesq; lapsos & Sathanae potestati traditos redempturo.

3. Vulgata verò versio, ut hoc tam egregium Christianorum asylum Christo etiperet & Mariae *θεοτόκω* adscriberet, reddidit: Ipsa (nempe mulier) conteret tibi caput, &c.

4. Verum hoc esse sacrilegiū & contra textus Ebraici expressam *συνάφειαν*, probo, non tantum ex pro nomine *אִשָּׁה*, quod interdum puncto subscripto foemininum est, sed & 2. ex verbo addito *יִשָּׁפֵק*, quod 3. fut. 2. Kal. gen. masc. 3. ex affixo *י* cum *ש* epethentico, quod etiam masculinum, & sic nulla nequidem suspicio foeminini. Quae excipit Hundlaeus, facile in *συζητήσθαι* solvemus. Hæc tantum notanda, quod 1. à communi interpretatione discedat, 2. falso Pagnini auctoritatem (ne  
hujus



hujus rei ignaro scrupulum quendam pariat) adducat siquidem non dicit omnia collectiva, sed ista in quibus sexus discretio non datur etiam sub terminatione  $\overline{\Gamma}$ , esse interdum masculini generis. Sed quid hoc ad rem. Fortè in Ecclesia non erit discrimen masculini & sequioris sexus: apud non certè. Apud illos non semper, quum & mulier fuerit Papa.

5. Quod verò de antiquitate suæ versionis blaterant, eamq; Hieronymo adscribunt, dico, 1. antiquitatem errori patrociniū non parare, Rectè Ignat. epist. 4. *Christus mihi antiquitas cui non obedire presentissimum est exitium*, 2. ipsi pontificii nesciunt & dubitant an sit Hieronymi, Stapletonus etiam, imitatus, sed stultè, Ægyptios, qui juxta Plutarch. de placit. Philos. suā profapiam ultra Lunæ ætatem extenderunt, longè antè Hieronymum tempore etiam Tertulliani hanc vulgatam extitisse, thraſonicè gloriatur. Quin & Bellarm. soli Hieronymo adscribere non audet, ita eum lib. 2. de V. D. c. 11. *vulgata editio non est unius auctoris, sed quedam habet ex Hieronymo, quedam ex Luciano quedam ex Theodotione (qui hæreticus fuit) quedam ex aliquo alio interprete innominato*. Egregius igitur fœtus, quem meritò curiosè observant Pontificii, quum ab hæreticis & aliis nescio quibus proficiscatur. Undè rectè à quibusdam  $\alpha\gamma\alpha\gamma\epsilon\alpha\ \lambda\acute{o}\gamma\eta$   $\text{\textcircled{C}}$ , si autorem respicias, dicitur. Et Jacobus Faber Stapul. in apol. comment. in epist. Paul. præmissa, probat non esse Hieronymi, utpote qui eam refutet, redarguat, damnet.

6. Transigat proinde Huntæus, qui Hieron. versionem adscribit, rem cum suis sociennis & imprimis Bellarmino qui lib. 2. de V. D. c. 9. inquit: *Editio vulgata, quamvis maxima ex parte Hieronymi est, tamen non est illa pura, quam ipse ex Hebræo convertit, sed est aliquo modo mixta additis ex versione LXX. quæ in Hebræo non inveniuntur*: Hinc ita: *Additum est aliquid versioni Hieronymianæ vel antè Hieron. & post Hieron. Prius est absurdum, quum non entis nullæ affectiones. Ergò posterius. Atqui versio LXX. tempore Hieronymi fuit depravata, Huntæus, c. 9. controv. 1. de V. D. p. 23. Ergo ex depravato latinæ aliquid est additum, & per cons. ipsa erit depravata, quum qualis causa, talis & effectus*

7. Sed



7. Sed antequam abeam, noto Jesuitarum 1. *stultitiam*, quod relictis fontibus, rivulos sectentur, 2. *malitiam*, quod versionem incerti, hæretici &c. textui DEI amantissimi præferre non dubitent. Sed tot fossis atque vallis premunire se laborant isti Lucifugæ, ne fortè Christiano orbi ulterius conspiciendi exponantur.

### CAPUT III.

#### De Scripturæ interpretatione.

##### THEOREMA I.

*Becanus crimen conscientie cauteriate effugere non valet.*

1. Quod iterum, ne longius abeam, probo 1. ex hoc, quod *ita* um controversiæ sicco pede, quò *γλαυκωμα* injiciat, malitiosè præterit. Cardo controversiæ inter nos & pontificios in eo vertitur, quod cum scripturæ in quibusdam ( Ut enim scripturam in his quæ salutis concernunt fundamentum perspicuam esse, quod ipsum Cost. p. 49. Enchirid. fateri cogitur, docemus; ita econtra tum illos, qui cum Philosopho illo thrasonico, se modò nil latere, qui olim scisset nihil, *temeritatis*, tum hos, qui ex obscuris & non ita claris articulos, fidei probare volunt, & sic *ἀδίκῳ λόγῳ φάρμακα σοφῶν*, ut ad istud Euripidis adludam, parant, *impietatis accusamus*, quum ex solo perspicuo literalis sensu & ex eo, qui immediatè, ex verbis colligitur, argumenta efficacia sint petenda, Bellarm. l. 3. de V. D. c. 3.) sua majestas & ingenii humani summa imbecillitas, majestatem istam non ubique adsequens, non sit deneganda, cujus sit scripturam interpretari.

2. Pontificii, modò ad Patres, modò ad Concilia à Papâ approbata & tandem ad Ecclesiam, cujus dulci nomine imponunt, & Papam unicum, ut superius probatum, intelligunt, cōfugiunt. A quâ ultima sententia nec Becanus abhorretere potest. Sic n. c. 5. lib. 1. §. 3. Eccles. *juxta normam hanc* (nempe sacram Scripturam, quod  
F utinam



utinam Papistica faceret) pronunciat dupliciter: Vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesie, vel per Concilia à Pontifice adprobata. Et utroque modo sententiam infallibilem pronunciat. Concilia tamen absque Papæ adprobatione errasse & errare posse, pronunciat, lib. 1. cap. 5. p. 160. §. 98. & hinc omnes Christianos ortâ dissensione in fide, ut adhareant illi parti, quam tenet Romanus Pontifex & sedes Apostolica, si non velint errare, adhortatur, & sic infallibilitas, Becani etiam sententia, in unico Papa hæret.

3. Nos verò distinctè nostram proponimus sententiam. Et I. quum scripturæ eo spiritu, quo factæ sunt, legi desiderent, ipso etiam intelligendæ sunt, ( ut loquitur Bernhard. ep. ad. frat. de monte Dei, ) & scriptura non sit ἰδίας ἀπολύσεως, Spiritui S. supremum & ἀνεπιτακτικὸν interpretandi jus assignamus. 2. Quoniam non omnes Doctores, 1. Cor. 14. sed divisiones sunt χαρισμάτων, munus interpretandi πρὸς φητικὸν ministris Ecclesie acceptum ferimus. Unde ἀταξία illa, quam nobis affingit, p. 26. §. 23. in fimum abit. 3. Quia Spiritus probandi 1. Joh. 4. v. 1. omnia exploranda ac bonum retinendum, 1. Thess. 5. v. 20, 21. & quilibet suam salutem cum timore operari debeat, jus δοκιμαστικὸν singulis Christianis piis, & qui uti norunt ratione & oratione ( ista quidem, ut quidvis non esse quidvis, ceu dicitur Eudemus sensisse, videant: Hac verò, ut intelligant, quarum rerum verba prolata sint tesseræ ) exemplo Berrhoënsium laudabili Act. 17. concedimus.

4. Contra hanc igitur sententiam debuisset Becanus disputare. Verum decipere, quam desipere maluit. Aut igitur hanc mentem nostram scivit, aut nescivit. Si posterius ignavia, si prius, malitiæ crimen, quod, quum nostratum scripta evolverit, credibilius, incurrit.

5. II. Ex stulta sed cauta sui provisione. De serpentibus rerum conditores scribunt, quod caput vel maximè munire soleant, sic & Papistæ Ecclesie suæ caput Papam vel maximè circumdant, reliquum corpus direptioni exponentes. Peto enim, ut mihi Papæ in scripturis dejudicandis privilegium probet. Promptus est, & ad scripturam se confert. Verum ego dico  
(ago



(ago ex confessione Papistarum) scripturam esse obscuram, nec hanc, quam profert Jesuita Spiritus S. esse sententiam. Sed quò me deducet? ad Papæ scrinium, quod solum profunditatem scripturæ, sicut canis ille in se descendisse Nilum univ-  
ersum, quum vix haustum obtinuerit, clamabat, exhaustis  
ridiculè gloriatur. Egregia verò ratio, jus interpretandi  
Papæ competit, quia scriptura dicit. Et scripturæ hic est sensus,  
quia Papa adferit! gerræ, nugæ!

6. Sed inquit Becanus: *Non habent* (nempe Lutherani) *authenticam scripturæ interpretationem, nec habere possunt, nisi à nobis accipiant.* Verùm quàm stultè, nobiscum disputare vult, & tamen ut arma nostra deponamus, suaque nobis aptemus, suadet. Sed inquit, *S. n. donum interpretandi non datur nisi in Ecclesia.* Iterum ineptè. Non enim quæritur, ubi detur (concedimus enim dari tantùm in Ecclesia) sed quæ sit vera interpretatio, & qui Spiritus sancti sensus, qui non ab homine, aliàs vox Dei hominis voce animanda, nec à ratione, quæ in divinis cæca, sed ex ipsa litera, scopo, antecedentibus, consequentibus &c. implorata tamen priùs Spiritus S. per preces pias opera, est petendus, nec sensus scripturæ inferendus sed ex ea unicè petendus. Ut enim ex amici literis ejusdem cognoscimus sententiam; quidni ergò ex Spiritus S. verbis, quum possit clarè loqui & velit intelligi, ejusdem etiam mentem cognosceremus, quum & in humanis *ἡρώδης ἐκ πωρῆων* fiat? Instat, *nostra Ecclesia est vera, quia toto orbe diffusa est, vos verò in angulo Europæ, ut Donatistæ in angulo Africa, heretis.* Utrumque falsum. Nullus Papistæ in Dania, Nortweigia, Suecia &c. Nec nostra in Europa tantum hæret, sed & omnibus in locis, licet non visibilis, tamè invisibilis, quæ sola pulcra & DEO placet, in medio etiã Papatus & inimicorum nostrorum, (rumpantur utilia Codro) est & habetur.

7. 2. Neq; etiam loci capacitas, quum olim Baalitzæ, 1. Reg. 19. in N. T. Arriani potiores regiones obtinuerint, imò *totus mundus ingemuerit*, (verba sunt Hieronym. contr. Lucif.) & *Arrianum se esse miratus est*, nec localis successio, quidquam firma-



menti addit. Et 3, Turcarum religio esset vera, quum plures regiones & regna occupent. 4. Antichristi satellites veram haberent religionē, quum brevi, ex hypothesi. Jesuit. totum orbem sibi sit subjecturus, omniaq; possessurus. Immeritò igitur Donatistis, qui extra Africam Ecclesiam reperiri negabant, accensemur, quum nostra toto orbe diffusa.

8. Sed instat l. d. §. eod. *In illa tantum Ecclesia reperitur donum interpretationis, ubi etiam donum miraculorum.* Quod ultimum in nostra, non vestra. E. & prius. Verum & maior & minor vacillant. Major quidem, siquidem 1. Pseudoprophetarum & Antichristi synagoga signa multa edit, Matth. 24. v. 24. 2. Thes. 2. v. 9. Apocal. 13. v. 13 nec tamen veram scripturæ interpretationem habet. Unde Bellarm. ipse lib. 4. de Ecclesia cap. 14. *Ante adprobationem, inquit, Ecclesie (Romani Pontificis) non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum, quia non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum illam non esse illusionem Demonis, Damonem. etsi non potest facere verè miracula, tamen potest facere adparenter etiam maxima quæq;.* 2. Nec semper viguit, nec vigere semper debet in Ecclesia, imò à vera doctrina separari potest, Bellarm. l. 1. de grat. c. 20. 3. Igitur de veris miraculis maiorem concedere possemus.

9. Sed sic Minor falsa, siquidem aliud est *error*, aliud *donum* miraculum. Prius probent, non posterius, si possunt. Nec nostra doctrina miraculis caret, sed planè stupendis & divinis miraculis est confirmata, adeò ut pharisaicum, miracula petere. Ita enim: Apostolorum doctrina miraculis satis est confirmata. Nostra doctrina est Apostolica. E. Satis miraculis confirmata. Minor per omnes articulos fidei jam dudum à nostratibus est probata. Major verò extra controversiam.

10. Prius verò de interpretatione verà, quam nos non habere, ut gratis adserit, ita gratis eum dimittimus. Lutherum non agnoscimus Lutherum, si suum quid, quod non divinum, protulit. 2. Dubito, an unquam id Lutherus hoc præsertim sensu dixerit, cum lippis & tonsoribus notum, quàm sublesta & punica, nedicam Jesuitica fide plurima Becanus adducat. Aliud



8. Aliud est vera & genuina loci cujusdam interpretatio, aliud accommodatio verisimilis. Istam unicā, (Jesuitarum enim, qui parum ab impietate Judæorum tredecim, quin & שבעים לתורה septuaginta legis explicandæ modos statuentium, abesse videntur, de quadruplici cujuslibet loci sensu liramenta non curamus) Hanc variam non inficias imus. Sed utut sit limitatè non absolutè Lutheri verba recipimus.

11. Calvinum & alios suis relinquo ad seclis defendendos. Malè tamen iterum §. 7. sugillamur, quasi verba Christi, Matt. 27, 28. non rectè explicemus. Probandum hoc fuisset, non nudè adferendum. Sed inquis, explicant Calviniani aliter. Verùm *ποσὸν μὲν λόγοι ποσὰ Σπικειήματα*, ut iste Apostata? Et Calviniani scripturæ dicta aliter quàm Jesuitæ explicant. Numquid causæ Pontificiæ aliquid hinc decedere putat Becanus? Ego certè non.

12. Atque sic adparet Becanum cauteriatam conscientiam habuisse, quum non tantùm frivolas & ineptas protulerit rationes, verùm quoque suæ causæ desperatæ tempestivè pharmacum præter rationem & ordinem, qui ex probatis, non demonstrandis, procedit, pararit & Jesuitas potiùs hoc modo compellandos §. 12. *Undè vos ò boni viri, codicem Bibliorum accepistis? Non aliundè, quàm ab Apostolis. At quare eundem quem accepistis non retinetis? Cur Canonem Apostolorum, qui à Christo, Ecclesia, Hieronymo &c. receptus est, repudiatis? Cur novum confingitis, quem Ecclesia nunquam pro legitimo agnovit? Cur antiquam & usitatam Christo, Apostolis, piis V. & N. T. editionem rejicitis? Cur tam novam & cum verbo Dei pugnantem versionem substituitis? Cur sensum scripturæ, falsâ interpretatione depravatis? Certè; si ex scriptura disputare vultis, ex nostra disputate, quia vestrâ non admittimus, nostra legitima & antiqua est, vestra spuria & novitia. Nostra unica & sibi cõstans: vestra varia, multiplex, instabilis.*

13. Atque sic Becani rationes vidimus? Consequens nunc esset, ut reliquorum Papistarum sententiam m. 2. hujus theor. enarratam, sub inquisitionis acumen vocaremus: Sed cùm pagellarum numerus excreverit, remitto discendi cupidum ad Clariss. Dn. Wilhelmi Nigrini Præceptoris ac Fautoris mei



honorandi tractatum de contemptu verbi divini, qui jam sub  
prælo est, ad argumentum num. XI. Ubi hæc & similia diligen-  
ter ex ipsis Papistis longâ serie discussa, inveniet.

Tandem coronidis loco noto, Jesuitarum I. blasphemiam,  
dum scripturam *σμελετόν* quoddam exsuccum ac exsangue &  
sine mente sonum faciunt, quæ prius animanda per Pontificem  
loquentem, seu, ut noster Becanus ex traditione & autorita-  
te Ecclesiæ, lib. de jud. controv. pag. 77. Idem, pag. 2. tom. post  
cap. 4. pag. 61. Jam verò *Traditiones neq; in S. literis aperte  
habenter, neq; evidenter ex illis deducuntur*, definiente Tannero  
in colloq. Ratisb. sess. II. E. aliunde scriptura suam accipit  
animam & formam. Contra Psal. 19, 19. Psal. 119, 105. Prov.  
6, 23. 2. Pet. 1, 19. 2. Cor. 4, 4.

II. Impietatem. Impiissimam enim est nos remittere ad  
Papæ tantum interpretationem, quum I. expositiones planè  
damnandas proferat. Christus dixit Petro, *Converte gladium  
tuum in vaginam E. in Petri potestate fuit gladius temporalis.* Bo-  
nifac. 8. l. 1. extravag. de majorit. & obed. c. 1. Unam sanctam.  
Sic Innoc. III. de majorit. & obed. c. *solite, duo Luminaria.*  
Gen. 1. *de Papa, quem solem, & Casare quem Lunam dicit explicat.*  
2. Plures omnium sceleratissimi fuerint. *Scortatores* Joh. XIII.  
Platina hominem sceleratissimum vocat. Clementem V. Ur-  
spergensis publicum fornicatorè. De Sixto quarto hoc habetur:

*Sixte jaces tandem deslent tua busta Cynædi,  
Scortaq; lenones alea, vina, Venus.*

Sic Johan. XXIII. in Concilio Constantiensi condemna-  
tus est, quod cum uxore fratris sui, & cum monialibus incestu,  
cum virginibus stuprum, &c. commiserit. *Avari.* Unde versus  
Johannis Monachi:

*Roma manus rodit, quas rodere non valet edit,  
Dantes exaudit, non dantibus astra reclaudit.*

Et Baptista Mantuanus:

*Venalia nobis  
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, corona,  
Ignis, dura, preces, cælum est venale, Deusq;*

Uni.



Unius Martini V. tempore circa annum 1436. ex sola Gallia transmittantur novies centena millia coronatorum, sive ut nostrates nonaginta auri tonnae. Imò facerrimus Pater non veretur quotannis ultra triginta millia coronatorum pro lactis censu, vulgò den Milch oder Hurenjins/Hafenmull. c. 10. p. 419. sumere. Unde Beatus Rhenanus: *Si quis vicarius Christi esse potest his moribus non video equidem, qui non possit etiam Christi vicarius quivis mundi esse Tyrannus.* Plura de his Harpyis, quas nunc Romam incolere, Anton. Panormitanus, Alphonsus (de factis & dictis ejusdem) dixisse adserit, non addo. Heretici, ut Costerus in Enchirid. concedit quin *et incarnati Diaboli* (quo nomine S. Pater Johannes 23. dignus judicatus fuit.) Plura qui vult adeat Dn. Nigrinum in lib. de leg. implet. ubi contra omnia præcepta Decalogi Papas peccantes adducit, p. 487. seq. Quis v. crederet, homines ejusmodi, qui sibi à nequitia fecere peculium scripturam melius, quàm alium pium intelligere, cū spiritus S. non intret corpus peccato coinquinatum. Sap. 1.

Acedit, quod ipsi Papistæ inter articulos fidei numerare nolint, quod Papa errare non possit, & de hoc intestina adhuc bella gerant. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius apparet, nobis egregiam fieri injuriam à Becano & aliis: ita enim argumentor: Quicumq; Canonem V. T. à Christo adprobatum & primitiva Ecclesia susceptum retinent. 2. ea in lingua authenticum agnoscunt, qua immediatè à spiritu S. est dictatus. 3. Spiritus S. interpretationem amplectuntur, hi verum Dei verbum habent.

Atq; Lutherani hoc faciunt. *Ε. οπερ εδειδειξαι.* Contra verò Papistæ vero Dei verbo carent, 1. quia scripturis adsuunt non tantum libros Apocryphos, sed & traditiones impias, quas tamen pari pietatis affectu recipiendas esse, Concilium Tridentinum mandat. 2. Versionem obtrudunt vitiosam. 3. scripturam suo sensu privant & ad Ecclesie currentis statum aptari & variè intelligi, imò mutari posse mutato ritu Ecclesie, adserunt. Quæ ulterius probanda assent, sed vela contrahimus.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.





## Ad Jesuitas.



*Nunc argutum Lutheranos, Lojola,  
sanctum  
dogma quod bant habeant, salvi-  
ficumq; Dei.*

*Hoc age V Velleri, cui dextera dextra Promethei  
è Genio ingenuo perpolit ingenium,  
pellege quesitum, quod sic tractavit, ut ipse  
applausum, explosum tu mereare. Tuam  
mentem ergò muta, tibi vel semivincia mentis  
si saltem est, aut te rideo dum video.*

CHRISTIAN Wendel.



DEO SINT ANS ET GLORIA.



05 A 1458

ULB Halle 3  
003 777 812




1017











Disputatio Publica,  
*In qua imprimis Becani rationes,*  
**An Lutherani Dei**  
verbum habeant,

*examinantur, publicaeque synodus,*

BONO cum DEO,  
SUB PRÆSIDIO

*Viri admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi*

**DN. WILHELMI LYSERI, SS.**

Theol. Doct. & P. P. celeberrimi, Patroni,

Inspectoris ac Præceptoris sui nullo non obsequio genere ætatem prosequendi,

exponuntur,

**M. JACOBO VVELLERO, Neukircho-**  
Varisco Respond. & Auth.

*Augustin. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 37.*

Titubabit fides, si divinarum scripturarum vacillet autoritas.

*Habebitur in Auditorio maj. d. 23. Julii*  
*Horis à 7. matutinis.*

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,  
ANNO M DC XXIX.